



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
 DE  
 SINGVLARIBVS QVIBVSDAM  
 AD  
**PERIPNEVMONIAM**  
**ET PLEVRITEIDEM**  
 SPECTANTIBVS

QVAM  
 SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
 ET  
 CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
 P R A E S I D E

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
 SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
 POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
 MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
 IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
 ET COMITE PALAT. CAESAREO,

*PRO GRADV DOCTORIS*  
 SVMMSIQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
 DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. VIII. SEPT. A.S.R. CICCLIII.  
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

**CHRISTIAN GOTTLIEB UCKE**  
 LIVONO-DORPATENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

55

DISSER<sup>T</sup>ATIO LAVACULARS MEDICA

SINGULARIBUS GABRIELA SAMPLIE DE

PER RIPINE VANOMIA ET PLEARITIDEM

SPECIALITATES

CONSENSA GRADIORAE PACATATIS MEDICA PRASIDE

DANDREA FELIBAGHHIERO

PRO GRADA DOCTORIS

SUMMIOGE IN MUNICIPALIA HONORIBUS ET PRIVILEGIS

DOCTORATUS IDEMONIA MATTRIA NATURIA

IN ALIA REGIA TRIPERIODIANA

CHRISTIAN GOTTHIER UCKE

THESE WAGDEBARGEG TERMINE HENDELTANE



Quam variae, quamque inter se dissidentes,  
iam inde a primis scientiae medicae in-  
cunabulis, semper Medentium fuerint  
opiniones & sententiae, de vera & ger-  
mania pleuritidis sede, non sane facile cuiquam fore cen-  
seo incognitum, Medicinae historiam qui, non dicam  
primoribus labris gustaverit, sed penitus hauserit: eâ  
quippe cognoscimus, nec antiquissimorum quorumque  
Medentium unam eandemque semper, de parte hoc in  
morbo affecta, stuisse sententiam. Etenim PRAXAGO-  
RAS iam, cum EVRIPHONE & EVENORE, in pleurite  
una pulmones pati, statuisse feruntur <sup>a)</sup>; HEROPHILVS  
vero, qui eius auditor fuit & affectator, solum pulmo-  
nem pleuritidi adsignasse sedem a Coelio AVRELIANO

A 2

tradi-

<sup>a)</sup> STOLLE in der Anleitung zur Historie der Medicinischen Ge-  
labrbeit, Part. I. §. XXII, pag. 24, ex GOELIKII Histor. Medicin.  
universali.

4 *Dissert. inaug. de singularibus quibusdam*

traditur b); sicuti e contrario alii succingentem costas membranam eidem huic morbo partem affectam constituisse celebrantur c).

§. II.

Enim vero quum longiores, quam convenit, esse mus futuri, cunctis iis sententiis, quae veterum atque adeo vetustissimorum de natali pleuritidis fuerunt loco, enarrandis, illis missis, progrediemur ad istas, quae recentiorum superioris ac nostri aevi de diversis hisce morbis fuerunt, duntaxat breviter expendendas, quippe quos inter itidem magna esse deprehenditur dissensio ac disceptatio. *Ioannes MANELPHVS*, Medicus Romanus, non est veritus contendere, πλευρήν haudquam succingentis membranae, seu solius pulmonis esse inflammationem; cui *Petrus SERVIVS*, Archiater Romanus, assensus est, ut qui dixisse perhibetur, plures, quam trecentos, pleuritide extinctos, in Nosodochio ad S. Spiritum fuisse dissectos, in quibus semper pulmones infectos materiaque repletos deprehendisset, membrana pleura aut nihil omnino ad sensum vitiata, aut leviter tantum quodammodo inquinata, id quod ante illum etiam *Barthol. VICARIUS*, *Lib. III. de opt. aegrot. ad fist. Cap. XI.* in viginti hominibus pleuritide defunctis se obseruasse testabatur d).

§. III.

Non multum ab illis dissentire videtur *Ioann. ZECCHIVS*, sua ipsius experientia & HIPPOCRATIS loco innexus, qui *Libr. de locis in homine exstat*, & ita habet:

*Quum*

b) *Libr. II. Acutor. 16.*

c) *Vid. Georg. Hier. WELSCHII Curat. propr. & Consil. Medic. Dec. X.*

d) *Idem eodem loco.*

*ad Peripnevmoniam & Pleuritidem spectantibus.* 5

*Quum ambo latera doluerint, reliqua autem similia velut  
in priore fuerint, haec quidem peripnevmonia, illa vero  
pleuritis, cetera; cui loco, tanquam fax adhaerescens,  
ceteris HIPPOCRATIS locis, quibus apertissime & pla-  
nissime inter pleuritidem & peripnevmoniam distinxit,  
nihil pensi habitis, subiecit suam solius observationem,  
perhibendo, in pluribus hominibus, pleuritide periisse  
iudicatis & a morte dissecatis, non membranam succin-  
gentem se deprehendisse inflamatam, sed pulmones  
cum sua membra laceratos & corrosos; ex quo confe-  
cit, lateris dolorem magna ex parte ad pulmones per-  
tingere, raro ad membranam pleuram e). Cum hoc  
concinit Fel. PLATERVS, pariter affirmans, pulmones in  
pleuritide frequentissime affici, rarissime membranam  
costis subtentam f).*

Non quidem negarunt laudati Viri, ZECCHIVS &  
PLATERVS, succingentem costas membranam non sub-  
inde incendio comprehendendi; sed duntaxat afferunt, in  
pleuritide rarissime pleuram, exteriorem vero pulmo-  
num membranam frequentissime incendi; quid? quod,  
in vera pleuritide utrasque dictas thoracis partes simul  
semper incendio exardescere, siveque vix ullam aliam,  
quam ita appellatam *pleuropnevmoniam* usu venire.  
Quibus nec ab ludit Vincent. BARONIVS, Libr. de Pleuro-  
pnevmon. cuius vestigia persecutus est SCHNEIDERVS,  
utpote qui pleurae inflammationem semper pulmonum  
incendio comitem haerere sibi persuasere, nec idcirco  
dubitavere coniunctas hasce affectiones nomine *pleuro-  
pnevmoniae* ciere.

A 3 i supp. §. V.

e) In Consult. med. Conf. 26. in Append.

f) Libr. II. Prax. pag. 309. & Libr. III. pag. 365.

## §. V.

Sunt ex recentissimis rei medicae scriptoribus, qui tam disiunctissimis inter seque diversissimis Auctorum de pleuritide & peripneumonia sententiis nullo alio parato consuli posse existimant, quam illo facto & commentatio discrimine, quo pulmonum inflammations scitisime internoscendas putant in eas, quae eorum *exteriora* obsident, aut in istas, quae in illorum *interioribus* suam sibi figunt sedem; illas optimo iure *peripneumoniae* nomine insigniri posse, has vero *pleuritidis* appellatione. Quae vero distinctione incensionis pulmonum quid argumenti habeat, quum nullis experientiae & Anatomiae practicae adminiculis substructa sit, id perspicacioribus dijudicandum relinquo; mihi metu enim fati est hec tantum ostendisse, quam plurimum Auctores, in vera verae pleuritidis sede designanda, dissident inter se atque discordent. Mihi tamen temperare non possum, quin brevi expediam, REGIVM huic distinctioni omnium praecipue viam aperiuisse videri, disertissime scribentem, in omni pleuritide exterioris pulmonum partis inflammationem etiam praesto esse, idque omnium pleuritide interemtorum corporum sectiones docere, quippe in quibus pulmones semper affecti invenirentur, pleura saepe integra g).

## §. VI.

Aliis persuasum est, in ita nominata peripneumonia, nunquam non utrosque pulmonum lobos inflammatione esse comprehensos, & vice versa in pleuritide alteram duntaxat pulmonum medietatem incendio ardescere; quia in hac semper fere simul istius partis membran

g) Libr. II. Institut. cap. II.

membrana, quae pleurae proles est, inflammatione esset succensa b). Alii igitur summam istam, quae Viris, doctrina atque scientia artis medicae facile principibus, alii cum alio intercedebat, dissensionem & ambiguitatem, de affecta parte in pulmonia & pleurite, perspicentes, quin etiam ipsi crebrioribus sectionibus corporum, hisce morbis interemtorum, comperientes, pulmonum alterutrum lobum subinde simul incendio esse corruptum, membrana costas cingente inflammata: in opinionem inde fuerunt adducti, utrasque has inflammations, pleurae & pulmonum, nexus semper indissolubili esse inter se coniunctas & complicatas, ita ut membrana, costis subtenta, nihil omnino unquam sola inflammari possit, quin pulmones semper simul simillimo corripiantur incendio. Hincque enata mihi videtur ista *Vincentio BARONIO* ita vocitata *pleuropneumonia* i), quam complurimi, tum superioris, tum praesentis aevi Medicorum, thoracis interioribus asserunt solam, vana ista opinione imbuti, pleuram solam & fibimet reliquat incensionis exortem esse atque immunem, nisi forte a pulmonibus inflammatis in similis calamitatis societatem trahatur.

§. VII.

Ecce tibi igitur heic praecipuas illas & potissimas, quae Medicorum sunt, opiniones & dissensiones, de nido & conceptaculo earum inflammationum, quae partibus in thorace conclusis haud insolenter eveniunt. Cetera, quae ab Auctoribus de dictarum inflammationum diagno-

b) ETTMÜLLERVS Part. II. Tom. II. Oper. med. Cap. I. Artic. IX.

pag. 621.

i) Libr. de Pleuropneumon.

diagnosi; exitu & medendi methodo in utramque partem disputata fuerunt & etiamnum disceptantur, hoc loco ordine referre, neque temporis angustia, neque instituti nostri ratio ferunt; praeferim cum maiora & posteriora nobis restant excutienda, quae quam brevissime nunc persequi in animo est. Primum itaque convenit dispicere ac perquirere, an pleuritis pulmonum inflammatione semper se sociam adiungat & comitem, ut quamplurimi Medicorum persuasissimum habent? an vero interdum sola, nullo pulmonum incendio comitata, per se thoracis lateribus exoriatur? Verum enim vero quum non statim liqueat, nec a priori determinari queat, utrum haec costarum membrana ad phlegmonem concipientiam satis sit apposita, nec ne? priusquam eius compages fuerit explicata, ex usu erit eam paucis expedire; qua perspecta, observationum quoque medicarum fide & testimonio planum facturi sumus, πλευρήν non posse modo, sed re etiam vera satis frequenter seorsim & separatim a peripnevmonia existere.

## §. VIII.

Quemadmodum haec membrana, quae πλευρά Graecis usurpatur, costas & musculos intercostales succingat, hoc loco declarare nihil attinet; quia id cunctis Anatomicorum monumentis, quae exstant, cuivis ea perlustranti obvium est. Structura eius non multum a peritonaei abludit<sup>1)</sup>, nisi quod, dum singulis quibusque costis arctissime adnascitur, eo longe contentior sit & adductior, atque insuper multo copiosioribus, quamvis exilibus

<sup>1)</sup> WINSLOVIVS Exposit. anatom. de la structure du corps hum. Tom. IV. Traité de la poitrine, §. 25.

*ad Peripneumoniam & Pleuritidem spectantibus.* 9

exilibus nec ita conspicuis, vasculis & nervorum surculis locupletata. Omnes fere, qui de hac membrana aliquid memoriae prodidere, eam ex gemina seu duplice lamella esse concinnatam tradunt, id quod vero a veritate maxime alienum esse, ipsa experientia & *auto-sua* facit testatissimum, qua compertum est, eandem ex unica duntaxat brācea seu lamina constare, cuius superficies exterior tenui cellulosa tela seu texto obsita spectatur, quemadmodum hoc *WINSLOVIVS* primus omnium oculis clarissime conspiciendum obiecit. Reliqua, quae de hoc involucro annotari digna essent, heic consulto missa faciam, progressurus ad eius nervos & sanguineos canales brevi expediendos, quippe quos planius cognosci nostra pluris interest.

§. IX.

*Vasa* igitur, quae pleuram irrigant, ex intercostalibus & mammaris internis progerminant. *Arteriae* enim, quae *intercostales* audiunt, inque *superiores* & *inferiores* discernuntur, ex aortae inferioris facie posteriore utrobique pullulantes, sese coniiciunt intra singulas quasque costas, ubi suo quaque in sulco, costarum inferiori margini insculpto, decurrit ad sternum versus. Haudquaquam vero intra pleurae duplicaturam earum trunculi feruntur, ut hucusque perperam proditum est, sed *RUYSCHIO* Auctore, costarum periostio inhaerent atque a muscularum intercostalium tendinibus munitur & investiuntur *m*). Ubi enim dicti trunculi ex aorta sunt enati, ibi intra pleuram & musculos intercostales exteiiores initio procedunt, deinde vero aliquan-

B

*m) Epist. problem. II.*

tulum



10. *Dissert. inaug. de singularibus quibusdam*

tulum progressi, mediū inter exteriōres atque interiores intercostales musculos pergendo, ad thoracis anteriora adeunt; quo itinere innumerabiles ex se generant rāmulus, qui non in commemoratos solum musculos dissemiantur, sed etiam, pertusis sive perforatis interioribus musculis, in longe plures & minutiōres furculos antea explicati, in ipsam pleuram disperguntur.

§. X. *soliloquio iuncit TOTIUS*

Verum enim vero arteriae intercostales superiores, quarum tres vel quatuor numerantur, neutriūam semper unis binisve trunculis ex aortae inferioris principio egerminant, costisque superioribus de sanguine propiciunt *n*), sed persaepe etiam ab ipsis subclaviis suo quaeque in latere unico trunculo oriuntur, qui hoc decursu tribus superioribus costis ramos impertiendo, in ipsam arteriam definit bronchiale *o*). Quid? quod, intercostalis haec superior, *WINSLOVIO* notante, aliquando ex ipsa arteria bronchiāli vicinā unico trunculo, haud quōque insolenter ex pluribus bronchialibus, enascitur *p*). Quod vero ad ipsos intercostalium attinet trunculos, quos unius cuiusque costarum sulco inhaerere dixi, non silentio premendum est, haud procul a suo ex aortae caudice ortu retro utrinque propágines intra apophyses vertebrarum transversas a se dimittere, qui spinae dorsi canalem ingressi inque illo ab oppositis obvii facti, mutuis anastomosibus coēunt *q*). Praeterea

*n*) *GARENCEOT* Splanchnol. Tabul. XV. lit. H. I. K.

*o*) *RUYSCHIVS* Epist. problem. VI. Tabul. 7. Fig. 3. lit. B. & D. *WINSLOVIVS* Tom. citat. Traité des arter. §. 29. 83. 104.

*p*) Ibidem §. 107.

*q*) Idem eod. Tract. §. 119.

*ad Peripneumoniam & Pleuritidem spectantibus.* 11

ex iisdem, paulo longius progressis, alii pullulant rami, non adeo exigui, qui non musculos modo dorsum contegentes, adipem & cutim, adeunt, sed de peculiari bus ramulis posticae atque exteriori unius cuiusque costae superficie prospiciunt, quos RUY SCHIUS proinde primus nomine *intercostalium exteriorum* insignivit, & peculiari tabella depingendos curavit <sup>r).</sup> Qua ratione germina haec, quodque in binos peculiares musculos veluti diffissa, per limbum uniuscuiusque costae superiorem atque inferiorem ferantur; imo etiam, quo reputati per exteriores intercostales musculos incedant, cetera, hoc loco dedita opera omittam.

§. XI.

Neque id de hisce arteriis, costas intus alluentibus, dissimulandum est, eas, si ab aorta discedentes ad costarum medianam circiter partem pertigerint, isthic unamquamque dehiscere in binos insignes & conspicuos ramos <sup>s)</sup>, quorum alter iter suum in supra significato sulco sternum versus pergit; alter vero, traiectis musculis intercostalibus externis, thoracis cavo ibi accurate exit, ubi indigitationes musculi obliqui descendentes sive externi, & ferrati maioris anticí mutuo implicantur. Rami hi, quos *intercostales externos anteriores* iustissima ratione vocare possumus, quod thorace egrediuntur, dehinc statim in binos alias eosque minores disiunguntur ramos, quorum alter musculis abdominis, alter vero musculis in lateralī & postica thoracis parte sitis, velut

B 2

ferra-

<sup>r)</sup> Thesaur. anatomi. I. affer. III. No. XVI. Tab. 3. Fig. 3. EVSTA-

CHIUS Tab. XXIV. No. 2.

<sup>s)</sup> WINSLOVIVS Tract. citat. §. 120.

ferrato antico maiori, latissimo dorſi, cetera, infertuntur. Tandem convenit, ut nec illorum ramorum obliviscamur, quos, ramis nunc dictis emissis, ulterius per costarum fulcos suum iter pergere perhibui; sciatur ergo, eos quidem *intercostalium internorum* nomine cieri, verum minime omnino pertingere ad sternum, sed ad segmenta duntaxat costarum cartilaginea pervenire, ubi illis obvii fiunt rami mammariae internae, quibuscum mutuis coniunguntur orificiis t). Quomodo autem trunculi mammariae internae, ad costas cartilagineas protenti, cumque intercostibus internis mutua inosculatione connexi, alias insuper propagines exferant, quae, spatia costarum intercartilaginea percurrentes, in musculos diffunduntur intercostales, heic expendere neque opera preium est, neque Dissertationis commoda magnitudo permittit.

### §. XII.

Nimium multus in arteriarum intercostalium ortu, progressu & distributione significandis forsitan vide rer; sed ingenue profiteor & prae me fero, in iis expendoris me ruisse breviorem, quam tanta tamque utilis res dici poscit. Vasis enim hisce, intercostales musculos & pleuram rigantibus, vel omnino ignoratis, vel certe non ita, ut par aequumque est, pensatis, vix quicquam certi atque indubitate de perplexis istis morbis, quibus pleura & pulmones subinde tentari assolent, in medium proferri posse, mihi persuasum est. Quoniam vero & *veniarum*, quae sanguinem recipiunt, atque ex hisce modo nominatis partibus revehunt, cognitio hisce thoracis affectionibus, multa obscuritate etiam in die

t) RUY SCHIVS Epistol. problem. II. Tab. 2. Fig. 3.

die involutis, plurimum lūcis accedit, vel eas leviter transire, ac tantummodo perstringere expediet. Quas pleura recipit *venas*, a sic diēta vena *ἀζύη* exoriri deprehendimus. Ipse truncus huius venae, spectabilis magnitudinis, in dextro tantummodo corporis latere obvius est, ubi, lateribus vertebrarum incumbens, ex abdome in thoracis cavum ascendit, in quo utrinque ramos ex se diffundit ad singulas quasque costas abeuntates, qui sese arteriis intercostalibus socios adiungentes, per eundem sulcum, cuivis costae impressum, sternum versus progrediuntur & *intercostalium* nomine appellantur. Quaque vena intercostalis, a trunco *ἀζύη* orta, perinde ac socia arteria, ramulum extrudit, spinae dorsi tubum intrantem, qui occurrentis ramulo oppositi lateris, eidem mutua inosculatione inolescit u).

§. XIII.

Praeter has quoque alias, in postica pectoris parte, ex se generat propagines, quae retrorsum delatae, societatem itineris ineunt cum ita nominatis arteriis intercostalibus exterioribus RUY SCHII. Ipsi intercostalium venarum trunculi, quando ad medias costas pervenerint, in duos se dividunt ramos, quorum alter, intus in thorace, per commemoratum costarum sulcum ad sternum contendens, *intercostalis* nomen retinet; alter vero, e pectore emergens & arteriis, eodem loco pariter indidem simul egressis, adsociatus, simillima ratione in geminos se dividit ramos, ac de his nunc commemoratis arteriis, in quas nomen *intercostalium exteriorum anteriorum* belle convenire supra §. XI. perhibui, iam satis constat.

B 3 §. XIV.

u) WINSLOVIYS Tom. IV. Traité des veines, §. 46.

Isti vero rami venosi, qui iter suum per inferiorem costarum marginem confidere pergit, atque *intercostalium* nomen ferunt, eo progressi, ubi cartilagineae costae ossis inolescunt, cum obviis ramis a mammaria interna huc profectis, mutuis orificiis coniunguntur, itidem ut de comitibus arteriis supra commemoravi. Denique nec illud silentio mihi hic praetereundum, quod venae hae, costas alluentes, pariter atque arteriae, in *intercostales superiores* dispescantur atque *inferiores*. Et quanquam illae, quae ad tres quatuorve superiores costas ascendunt, haud insolenter a superiori venae  $\alpha\zeta\gamma\eta\pi$  trunco proveniunt  $x$ ), nec tamen raro hac superiores, in dextro latere solummodo, ex caudice venae  $\alpha\zeta\gamma\eta\pi$  nascentur, intercostalibus superioribus sinistris a vena subclavia laeva natales suos ducentibus  $y$ ). Candido etiam videtur calculo notandum, venas *intercostales* sinistras non a tergo tantum arteriae aortae inferioris ad pectoris laevum latus pertingere, atque adeo caudici huius arteriae  $\alpha\zeta\tau\omega\sigma$  subiectas deprehendi, sed etiam dextris venis multo esse porrectiores longioresque: sicuti e contrario cognomines laevi lateris arterias longe breviores esse iis, comperimus, quae dextrorum pergit. Cunctae haec venae ab exortu suo ex  $\alpha\zeta\gamma\eta\pi$ , per exiguum duntaxat spatium, una cum arteriis locis, inter solos *intercostales* externos musculos & membranam succingentem procedunt; quamprimum vero *intercostales* internos consequutae sunt musculos, sese statim intra utrosque hos, tum externos, tum internos, medios infe-

<sup>2)</sup> GARENGEOT Libr. citat. cap. V. Tab. XVII. liter. I. & K.  
<sup>2)</sup> WINSLOVIUS Traité des veines, §. 27.

inferunt, totoque hoc meatu, quo mediae, inter binos horum muscularum ordines, per costarum striges ferruntur <sup>a)</sup>, innumeras ex se diffundunt propagines, nominatis muscularis prospicientes, quae demum, pertusis & traectis muscularis internis, in multo plures alios, longe minutiores atque adeo minutissimos, explicatae ramulos, pleurae inferuntur.

§. XV.

Iam in eo est, ut patinis quoque expediamus, quid ipsius venae <sup>b)</sup> alveo, a latere dextro corporum vertebrarum incedenti fiat, quippe in quem omnes sanguinis rivi, costas earumque muscularis & pleuram irrigantes, deducti sese exsolvent, nisi forte peculiaris quedam vena intercostalis superior, sinistro in thorace a laeva subclavia ortum dicens, praestet fuerit. Truncus proinde hic a dextro latere spinae dorsi, ad costarum radices, ascendens, a spina dorsi, cui incumbit, circa quintam vertebram anterius deflebitur <sup>c)</sup>, ubi a tergo pulmonum in arcus speciem curvatus, oesophagum & pulmonalem arteriam dextram superficie scandendo <sup>d)</sup>, ac deinde dextra pulmonum bronchia transeundo, in venam cavam superiorem hiat <sup>e)</sup>. LANCISIVS orificio huius venae, in cavam superiorem dehiscendi, nescio quem muscularum semicircularem asseruit, qui sanguini, ab intercostalibus remeanti, moderando inservire scri-

<sup>a)</sup> EVSTACHIVS Tabul. XXVI. No. 2.

<sup>b)</sup> CASSEBOHMIVS Syllog. Observat. anatom. selectar. §. LXXVI. & XCVII. LANCISIVS Dissert. de Vena sine pari, Tab. X. lit. M. EVSTACHIVS Tab. XV. Fig. III. lit. V.

<sup>c)</sup> EVSTACHIVS citat. loco.

<sup>d)</sup> LANCISIVS loc. adduct.

bitur d). AMATVS praeterea primus valvulas  $\alpha\zeta\gamma\tau\pi$  trunco affinxit, qua in fententia etiam RIOLANVS fuit e). Enim vero si verum fatendum, neque eiusmodi musculum, neque uspiam hac in vena valvulas cuiquam Anatomes peritorum unquam deprehendere contigit; nec ego, quid emolumenti inde ad refluum sanguinem redeat, exputare possum. Quomodo tandem huius venae truncus a medulla spinali, inter singulas quasque dorsi vertebrae, peculiarem venosum surculum recipiat, & quo pacto inferior eius pars in venam emulgentem sinistram, item in venam cavam inferiorem, quid? quod in iliaca sinistram interdum se se exsolvat, ut mihi aliquoties conspicere integrum fuit, quemadmodum quoque lumbares binas superiores, modo in dextro duntaxat, modo in utroque latere, ex se generet, hoc loco latius prosequi nihil attinet, nec nostra multum refert.

## §. XVI.

Perspectis igitur istis sanguineis rivis, qui ex aorta, tanquam ex communi fonte deducti, ad pleuram, inque primis ad intercostales musculos, decurrunt frequentissimi, indidemque in venam  $\alpha\zeta\gamma\tau\pi$  reducuntur, non abs re erit, leviter quoque nervos illos tantum transfire & perstringere, qui in hasce pectoris partes diffunduntur. Emergunt icti utrobique ex dorsi spina, seque vasis sanguiferis sociantes, cum hisce eandem viam in costarum fulcis pergunt. Hi nervi ab egressu suo e spina, aequacervicales nervi, in ramos scinduntur anteriores & posteriores; illi multo sunt conspectiores atque adeo insigniores: hi vero admodum tenues atque exiles, perforatis

d) Dissert. citat. quae MORGAGNI Adversariis inserta est.

e) Antropograph. Libr. III. cap. VIII.

ratis musculis exterioribus intercostalibus, ad musculos dorsum contegentes, velut ad elevatores costarum Sternonis, vertebrales, semiispinatos, cetera, abeuntes, sub musculo longissimo dorfi prorepunt f). Praeter haec probissime etiam existimo annotandum esse, singulos quosque intercostales nervos, binos eosque breves ad costarum radices de se spargere ramos, qui trunco nervi sic dicti intercostalis, per thoracis posticam partem descendentes, inferuntur g). Ipsi deinde rami anteriores, qui *intercostalium* nomen obtinent, subeunt primum musculos intercostales externos, ad usque internorum originem; eo si pervenerint, statim inter utrasque muscularum, tum externalorum, tum internalorum, series medii feruntur h). Circa costarum medianam partem dimitit unusquisque intercostalis nervus notabilem quendam ramum, thoracis cavo exeuntem, qui vasis sanguiferis, eodem loco thorace egressis, se comitem adiungit inque binos dehiscit furculos, exterioribus pectoris partibus prospicientes i). Nimis enim longum foret singulos quosque ramos in praefenti prosequi ostendendo, quibus musculis distribuantur.

§. XVII.

Cognitis quoque illis nervis, quorum ramuli & pleurae, & musculis intercostalibus, copiosissime intinxuntur, id negotii iam mihi sentio dari, ut dilucidius ex-

C pediam,

f) EVSTACHIVS Tab. XX. Num. 2. lit. t. u. w. x. y. z. ceter.

g) VIEVSSENIVS Neurograph. universal. Tabul. XXII. Num. 89.  
89. 89. cet. & 91. 91. 91. cet. & Tab. XXVII. lit. d. d. d. & e. e. e.  
cet. WINSLOVIUS Tom. IV. Traité des nerfs §. 256. 396.

h) EVSTACHIVS Tab. XIX. Num. 2.

i) Idem ead. Tab. & Tab. XXI. Fig. II. lit. k. l. m. n. o. p. cet.

pediam, anne pleuritis quoque sola ac pulmonum incendio incomitata subinde hominibus exoriatur, & qua potissimum thoracis parte suam sibi figat sedem, sola pleura, an pulmonibus duntaxat, an utrisque una? Verum enim vero quum deliberatum mihi sit & constitutum, hisce plagulis ea solummodo consecutari, quae non minus ad pleuritidem, quam peripnevmioniam spectant, & a paucis forte pro eo, ut convenisset, observando notata sunt; non male acuturus mihi videor, si quoque de *pulmonum fabrica* heic ea praestruam, quae huic morbo, etiam nunc nostra memoria multis obscuritatibus circumfuso, lumen adhibere clarius valent. Noli vero credere, cuncta me, vel minutissima quaeque, de eorum structura, hoc loco in medium esse prolaturum; sed ea tantummodo, quorum non vulgaris est notitia, quaeque multis in hoc morbo phaenomenis enodatius explicandis inserviunt. Operae proinde pretium erit sanguineos istos alveos, vitalia liquida qui ex altero cordis ventriculo per pulmones ad alterum evolvunt, primum expendere.

## §. XVIII.

*Vasa*, quae sanguineis liquidis ab anteriori cordis ventriculo ad posteriorem traducendis dicata sunt, bina deprehenduntur, quorum alterum *arteria pulmonalis*, seu *vena arteriosa*; alterum vero *vena pulmonalis*, sive *arteria venosa* vocari consuevit. *Pulmonaria arteria*, uno eoque patentissimo trunco ex anteriori seu dextro cordis thalamo enata, & oblique sursum progressa, in duos insignes dividitur ramos, quorum alter lobum pulmonum dextrum, alter vero sinistrum subit, quo etiam nomine hic *arteria pulmonalis sinistra* salutatur, sicut ille *pulmo-*

*pulmonalis dextra* appellatur. Sinistra igitur pulmonalis, ex trunco arteriae eiusdem cognominis suborta, recto itinere ad pulmonem laevum contendit, ita ut sanguini, e dextro corde allabenti, via admodum directa atque expeditissima in eam pateat, id quod multo aliter evenit arteriae pulmonali dextræ; ea enim, ab eodem trunco nata, haudquaquam recta pulmonem huius lateris intrat, sed sub arcum aortæ dextrorum revoluta, inque memorabilem curvaturam inflexa, atque ita post saccum venosum Loweri, cui adnata conspicitur, delata, dextrum pulmonem demum ingreditur.

§. XIX.

Utraeque pulmonales arteriae, pulmones nunc subituae, suo quaeque in latere deniu in duos dehiscent aliquos ramos *l*), bronchiis sele socios comitesque adiungentes, qui perinde atque ipsa bronchia, in incredibiliter multos surculos, sensim pedetentimque exiliores minutioresque ac tandem minutissimos partiti, bronchiorum quosque ramos affectantur usque ad ipsas eis appensa vesiculas, ubi ultimi arteriae pulmonalis ramusculi, cum extremis venae sociae surculis per multas anastomoses coniuncti, retis in formam implicantur, quae admirabilis tenuissimorum vasculorum implicatio mutua, singulas quasque vesiculos veluti reticulato operare redimenti, MALPIGHIO locum fecit, retiformem hanc telam *retis mirabilis seu vasculoſi* nomine cendi *m*). Iam igitur, quum haec tenus allata ita se habere sensuum fide & testimonio exploratissimum sit, haud

C 2

sane

*l) EVSTACHIVS Tab. XV. Fig. VI. lit. v.*

*m) MALPIGHIVS Epistol. II. de pulmon.*

sane obscure indidem cuivis esse duco apparitum, fore, ut sanguis e dextro corde in modo dictas effusus arterias, & copiosior, & citatior atque expeditior, per sinistram pulmonalis, quam dextrae, alveum feratur: quia illa, trunco suo pulmonario directe obversa veluti obvia, minus morae atque impedimenti liquidis vitalibus irruentibus obiicit, quam haec, in dextri pulmonis abdita se abscondens, quippe cuius inflexio, seu curvatura, incurrentis sanguinis flumen repercutiendo impedit, quo minus tam copiose tamque expedite & facile huius vesiculas interluere queat. Expeditissimum iam quoque erit indidem perspicere, quid causae sit, cur sinistra pulmonalis arteria secundum naturam amplior sit sive capacior, quam dextra, ut quae minoris diametri esse advertitur *n*.

## §. XX.

Perlustratis proinde utrisque pulmonalibus arteriis, quoad intereste putavi, de *venis* quoque eiusdem cognominis iam viderur mihi exponendi tempus dari. Extremi itaque venosi tubuli, quos frequentibus admodum orificiis in ultimas arteriolas patere tradidi, in ramos sensim sensimque conspectiores coëunt, usque eodem omnem in quatuor spectatae magnitudinis venas confluxerint, quae faccio venoso, auriculae sinistre attexto, sese immergunt *o*). Sinus hic venosus venarum pulmonalium tam arctissime venoso venae cavae faccio agglutinatus est, ut utrique pariete duntaxat intergeri-  
*no*,

*n*) GARENGEOT Libr. citat. Part. II. Cap. IV. §. 42. & 45.

*o*) EVSTACHIVS Tab. XV. Fig. VI. RUYSCHEVS Epist. anatom. X. Tab. XI. Fig. 1. & 2.

no, alter ab altero disiuncti videantur p): quoniam vero venarum cavarum sinus nihilo secus dextra haud parum prominet, evenit inde, ut binae dextrae pulmonales venae, adaeque ac de comitantibus eas arteriis paulo ante dictum est, e pulmone emergentes & ad sinistram cordis auriculam adeuntes, venae cavae sinum retro stringant eidemque inolevant. Sed satis haec tenus ac scopo nostro convenienter mihi videor de vasis communibus pulmonum dixisse; plura de iisdem qui cognoscere avert, ei suadeo Anatomicorum monumenta, quae litteris consignata exstant, evolvenda.

§. XXI.

Operae iam pretium erit vel ea expendere *vasa*, quae *pulmonibus propria* iisque nutritiis tributa sunt, *bronchialium* nomine satis cognita, praecipue quum, *WINSLOVIO* iudice, ipsa praxis medica haud exiguum utilitatis fructum ex earum altius inspecta cum vasis pulmonalibus connexione percipiatur q). Arteria ergo ista, quam bronchia sibi suam vindicant, haud insolenter ab antica arteriae aortae inferioris facie, sub canalis arteriosi in eam exitu, nunc unico trunculo, brevi post in duos ramos dehiscente, nunc binis ternisve r) proficiscitur; pluries vero etiam ex primae intercostalis superioris trunculo natales suos dicit, unde deorsum per gendo, hoc in itinere alteram, tertiam, subindeque quartam intercostales ex se generat superiores arterias,

C. 3

prius-

p) GARENGEOT ibid. §. 20.

q) Libr. cit. Tom. IV. Traité de la poitrine §. 116.

r) WOHLFAHRT Specim. inaugural. de bronchiis vasisque bronchial. Tab. in calcadieß. lit. yyy. WINSLOVIVS Tom. III. §. 109.

& Tom. IV. Tr. de la poitr. §. 117.

22 *Dissert. inaugur. de singularibus quibusdam*

priusquam ad bronchia adspirat <sup>s).</sup> Quo nomine **WINSLOVIVS** verissime prodit, arterias intercostales superiores identidem ex vicina bronchiali, nec raro ex pluribus bronchialibus arteriis exortas spectari <sup>t).</sup> Nonnunquam quoque accedit, ut sinistra solummodo bronchialis ex aorta progerminet, dextra bronchiali ex eiusdem lateris intercostali superiore pullulascente <sup>u).</sup> Quid? quod ipse trunculus arteriae huius **RUYSCHIO** nonnunquam ab intercostali tertia superiore provenisse animadversus est.

§. XXII.

Ut primum haec arteria se bronchiis adiunxerit comitem, statim in exteriore eorum superficie, serpentis in modum, derepit, in tot propagines sese diffundendo, in quot ipsa bronchia explicantur, quae singulos quosque eorum surculos comitantur <sup>y).</sup> Cave autem existimes, bronchiale hanc uno duntaxat trunco semper in exteriore bronchiorum facie devolvi, <sup>avrofles</sup> ipsa omnium oculis patefaciente, eam super bronchia pergentem, aliqua itineris sui parte ab exortu iam emensa, multoties in binos ternosve notabiles abire ramos, supra bronchiorum faciem exteriorem, serpentum ritu, se provolventes, atque eam abundantissimis, infinitae exiguitatis ramusculis, varie ludentibus, locupletantes, quin etiam universos bronchiorum tubulos, vel ultimi-

<sup>s)</sup> **RUYSCHIVS** Epist. 6. Tab. VII. Fig. 3. lit. B. & D.

<sup>t)</sup> Traité des arter. §. 117. & Tr. de la poitr. §. 117.

<sup>u)</sup> **WINSLOVIVS** loc. citat.

<sup>x)</sup> Epist. laudat. Tab. VII. Fig. 2. lit. C.

<sup>y)</sup> **Thom. BARTHOLINVS** Anatom. renovat. Lib. II. Cap. VIII. Tab. IX. Fig. IV. Lit. D.

ultimos, comitantes. Quid? quod propagines huius arteriae non bronchiorum extremis tantum canaliculis semper comites haerent; sed etiam, quod singulare attentione dignum, eos relinquendo sive deserendo, sese intra minores atque adeo minimos vesicularum pulmonium lobulos coniiciunt, quos satis ramosae intermeant, prorependo ad usque istam omnium lobarum communem membranam, a mediastino ortam, quae utrumque pulmonum lobos maximos investit.

§. XXIII.

Quod vero omnium praecipue notari meretur, est illud, quod hi arteriae bronchialis surculi, quos pulmonum lobulis esse ostendi intersitos internatosque, si ad membranam pertingant pnevmonicam, in complures sese spargant longe minutiores ramulos, per eam amoenissime disseminatos. Contigit mihi hosce sanguinis rivulos, dictam membranam irrigantes, meis met oculis in pulmone vitulino per quam manifeste deprehendere, cuius bronchialis arteria, a me hydrargyro repleta, sic que conspicua admodum reddita, serpentis more supra bronchiorum ramos devolvebatur, ad minimos quoque eorum tubulos, quo decursu quam copiosissima, eademque subtilissima, usque quaque ex se diffundibat vascula, quae bronchiorum tunicis intexta erant. Praeter haec vero alia quaedam quoque vascula ab dicta bronchiali proveniebant, quae pulmonum lobulos interluendo, inque plures ramulos dehiscendo, ad communem eos cingentem pertingebant membranam, cui distribuuntur atque intexuntur. Sane adspectu erat iucundissimum, quam expedite mercurius ex trunculo

bron-

bronchialis, in commemoratas lobulis pulmonum interfusas propagines, ex hisce vero in pulmonarium membranam, quantumvis omni nexus cum subiectis lobulis exsolutam sive expeditam, sese urgeri, indidemque in ipsis trunculi alveolum retrudi patieretur.

### §. XXIV.

Nec silentio id videtur transeundum, quod, **WINSLOVIO** praclare annotante, ex hac bronchiali arteria ramus quidam egerminet, qui, propinquam proxime que aditam cordis auriculam praetervectus, in ipsam coronariam cordis dehiscit arteriam <sup>z).</sup> Tandem quoque meminisse expedit, ultimos huius arteriae, bronchiis mancipatae famulantique, ramusculos frequentissime usitatissimeque extremis surculis arteriae pulmonariae mutuis anastomosis associari. **RUYSCHIVS** enim verbis prodit testatissimis: *Repleta arteria pulmonali ceracea materia, illico quoque repleti conspicuntur ramuli arteriae bronchialis; nullusque dubito, quin hoc vice versa quoque fiat, quamvis id nunquam tentarim a).* Accedit eodem testis locupletissimus **CASSEBOHMIVS**, itidem, accrescebant, inquiens, *etiam sibi invicem, tam in homine, quam in vitulo, arteria bronchialis & pulmonalis, ibique mercurius vivus, per arteriam bronchiale transiit b).* Nec ab ludit illis solertissimus ac secandi peritia nemini secundus noster Anatomicus, **DOETISSLIMUS D. WOHL-**

<sup>z)</sup> Traité des arter. §. 112. & Tom. IV. Traité de la poitrine, §. 119.

<sup>a)</sup> Epist. adduct. Tabul. VII. Fig. 5.

<sup>b)</sup> Dissert. citat. qua Sylloge anatomic. observat. continet. §. XLIII.

D. WOHLFARTH, similiter planissime scribens, bronchialis surculos ultimis arteriae pnevmonicae ramulis *ἀρτηρίων* committi. Ipse etiam ego, quum, Anatomes ad discendae causa, quondam privatim pulmones, ex quadrupedum corporibus depromptos, pervestigarem arteria hac bronchialis mercurio complenda, semper minima eorum germina arteriae pulmonariae ramulis esse coalita animadverte.

§. XXV.

Verum enim vero quemadmodum natura, in vasorum ramis exstruendis & distribuendis, non sane ulla lege tam artissime sit adstricta, quin aliquando a via sibi alias usitatissima tritissimaque deflectat, atque aliam in iis disponendis & ordinandis sibi normam praescribat: ita quoque in arteriae huius bronchialis extremis surculis digerendis & connectendis sibi non semper constare, sed interdum, quamvis perraro, a naturali suo ordine & consuetudine dehiscere observatur, quemadmodum id mihi comperire integrum fuit in vitulinis istis pulmonibus, per quorum investientem membranam plures me huius arteriae ramulos discurrentes conspexisse, paulo ante perhibui. Namque bronchialis arteriae tubuli haudquaquam se in arterias, sed solummodo in venas exsolvebant pulmonarias, id quod inde liquidissime apparuit, quia nihil omnino mercurii, arteriae bronchiorum infusi, in alterutra pulmonalia arteriarum se mihi, vel intimos quosque earum recessus quam sollicitissime perquirenti, obviam dedit, ut qui in solis utriusque lobi venis pnevmonicis duntaxat conspicuus erat, argumento sane clarissimo, minima arteriae bronchialis germina aliquando etiam in venas se aperire at-

D

que

que hiare pulmonarias. Novitate idcirco huius rei inductus, non dubitavi illos ipsos pulmones, quorum bronchialis arteria, immisso hydrargyro, ita erat a me redditâ conspectior, amicorum quorundam oculis subiicere spectandos, quorum numero satis erit spectatissimum. Dn. Doctorem WOHLFAHRTIVM & Doctissimum Dn. Candidatum Medicinae WÜRTZBACHIVM, testes huius observationis adduxisse omni exceptione maiores, ne quis forte illud inter figmenta lascivientis ingenii declararet, quod tamen ipsa experientia verissimum esse comprobavit.

## §. XXVI.

Neque illud hoc loco de vasis pulmonum communibus esse puto praetereundum, cuius raram, si forte ullam, ab Anatomis doctis fieri mentionem animadvertisimus, ex quo nimirum fonte illi sanguinis rivuli exoriantur, qui commemoratorum vasorum pulmonalium tunicas frequentissimi interluunt rigantque? Vix enim dici potest, quantus vasculorum, incredibilis fere subtilitatis, numerus in superficie arteriarum pulmonalium exteriore, dissecta prius & penitus ablata illa HELVETIR, cui includuntur, *capsula*, oculis meis sit obvius factus, quorum tanta est teneritas atque exiguitas, ut nec ullus, vel minimus mercurii globus in recessis eorum interiores penetrare valuerit: neque tam en eo magis oculis, vel nullo conspicillo adiutis, clarissime compici poterit. RUY SCHIVS quidem primus planius dilucidiusque expeditissime videtur, quemadmodum surculi quam plurimi ab arteriis cordis coronariis orti, in aortae, subclaviarum & carotidum tunicas disseminen-

sup

seminentur e), quin imo qua ratione ex arteriis mammariis internis multi ramusculi, ad aortae arcum pertinentes, huius pelliculis intexantur d): verum de istis capillaribus vasculis, quibus arteriae pnevmonicae parietes afflunt, plane siletur. Ramulos vero hos, quos per arteriarum pulmonalium parietes frequentissimos decurrere significavi, omnino nihil ab arteriis coronariis propagari venae arteriosae tunicis, unicuique expedite cognoscere in proclivi erit, curatus inspecturo illas arteriarum cordis coronariorum figuram, quas laudatissimus Auct<sup>r</sup>or Epistolae suae tertiae curavit adiiciendas e). Quae quum ita sint, nullus vereor iustissima ratione contendere, vasa pulmonum communia universos, quibus eorum parietes & irrigantur & nutriuntur, sanguinis rivulos a sola bronchiali arteria mutuari, ut quae praefatis communibus pulmonum, perinde ac bronchiorum tubis, de nutrimento abunde prospiciunt.

§. XXVII.

Iam quoque convenit quaedam de *vena bronchiali* iis, quae haec tenus de arteria bronchiali in medium prolata sunt, subtexere. Venae huius tam magna raritas contingit, ut propterea a multis Anatomicorum, qui eam in cadaveribus humanis, quantumvis studiosissime diligentissimeque, tamen nequicquam, investigarunt, in dubium incertumque vocari coepit fuerit. Ipse RUY SCHIVS, qui in minimis detegendis omnibus propemodum palmam praeripuisse videtur, aperte est confessus,

D 2

c) Epist. problemat. III. Tab. III. Fig.

d) Ibid. Tab. ead. Fig. 2. lit. P.P.

e) Fig. ead. 2. lit. O.

festus, per complures se annos de hac vena dubitasse neque dum eam vidisse f). Sunt tamen, quibus illa aliquando, quantumvis perraro, observata fuit, quorum numero etiam Doctissimus WOHLFAHRTIVS habendus est, qui hanc venam in corporibus nonnunquam praefto esse non docuit modo, sed eam quoque depicet dedit, haud obscure ostendendo, quo pacto nascatur, progrediatur inque vena sine pari terminetur g). Mihi, quum neque vacet, neque placeat, nec expeditat esse longiori in hac vena bronchiali prosequenda, quam nostri instituti ratio fert & permittit; praeterea etiam quum sit tanta eius raritas atque insolentia, ut in perisque corporibus humanis omnino desidereretur, eam missurus ad ista ingrediar enodanda, quae plus momenti ad intricatos hosce thoracis morbos dilucidius experientios afferunt.

### §. XXVIII.

Ea igitur, quae nobis supersunt excutienda, illi sunt *nervi*, qui pulmonibus impertinentur. Insider plerorumque Medentium animis ea opinio velutique inventaravit, pulmones admodum paucis iisque exilibus esse nervorum ramis instructos, per pulmonum membranam potissime dispersos, ideoque etiam vix ullo alio, praeterquam aliquo obtuso & hebeti sensu praeditos b). Verum enim vero sensuum fide & testimonio exploratissimum est, eos nervorum ditiores esse &, ut ita dicam,

f) Epist. laudat. VI.

g) Specimin. anatom. medic. citat. §. XXXI. Tab. in calc. huic specimen. adiect. lit. 1.1.1.

b) DIEMERBROECK Anatom. Libr. II. Cap. 2. Thom. BARTHOLINVS Libr. citat. Libr. II. Cap. IX.

cam, affluentiores, quam huc usque plurimis persuasum fuit. Praeter WILLISIVM enim & VIEVSENIVM, WINSLOVIVS pulmonibus complures asseruit nervos i), id quod reapse etiam ita se habere *auto&ta* ipsa anatomica loquitur. Suboriuntur vero hi nervorum rami non ex pari vago seu octavo solum, ut a plerisque superioris aevi Anatomicis proditum fuit; sed etiam ex nervis intercostalibus, a cerebro ortis perque thoracis cavum, supra costarum capitula, deorsum pergentibus l), quippe quos, singulas quasque inter costas, binos breves nerveos surculos ex se diffundere, & unicuique nervorum intercostalium, e medulla spinali enatum, impertire, supra iam significieavi.

§. XXIX.

Uterque paris vagi seu octavi truncus quando ad tracheae divisionem in duo bronchia pervenerunt, suo quisque in latere septem vel octo satis conspicuos ex se generant ramos, qui bronchiis associati statim cum arteria bronchiali itineris societatem ineunt, eam cum omnibus suis ramis individuo comitatu, per pulmonum interiora, afferendo ad usque extremos bronchiorum tubulos, ubi in innumerabiles summae exiguitatis ramiculos dehiscentes, reti vasculo Malpighii impllicantur indidemque in singulas quasque pulmonum vesiculas distribuuntur. Perquam memorabile est, hosce nervorum ramos, qui cum aliis propaginibus, a nervo intercostali exortis, coalescentes, plexus pulmonalis nomine designari assolent, non *anæros* tantum bronchiali

D 3 arte-

i) Libr. allegat. Tom. IV. Traité de la poitr. §. 124.

l) Idem Libr. nominat. Tom. III. Tr. des nerfs §. 385.

arteriae adiacere, quin etiam, extima asperae arteriae membrana, ipsis bronchiis arctissime annexi; sed copiosissimos quoque ramusculos in horum tunicas diffondere, imo & in ipsius bronchialis pelliculas dispergere. Ipsum deinde par vagum, ubi hunc plexum pnevmonicum ex feso peperit, deorsum cum oesophago ad ventriculum pergit. Non alienum fore censeo nec iniunctum, opportuno hoc loco pauculis duntaxat expeditre, me in uno eorum paris vagi ramorum, qui cum oesophago consociati ad ventriculum deferuntur, peculiarem quamplam arteriolam, mercurio repletam, quae soboles arteriae bronchialis erat, deprehendisse, quae per interiora eius simillima tantum non ratione ferebatur, atque illa arteriola, quae in nervi optici abditis ad oculi bulbum perreptare observatur.

### §. XXX.

Enim vero praeter hosce nunc commemoratos nervorum ramos, quorum, natales truncos ipsos paris vagi esse tradidi, pulmones etiam alias ab ipso trunco intercostali obtinent propagines, quae, ramis octavi paris implicatae atque intertextae, supra dictum pulmonarium plexum una efficiunt. Etenim adspectabilis quidam ramus, a ganglio nervi intercostalis cervicali inferi in dextro latere profectus, coniungitur cum nervo recurrente, qua ex coniunctione pululat alia propago, quae a tergo dextri arcus aortae rami descendens, inque hoc decursu cum surculo, haud sane exiguo, ab ipso trunco paris vagi, e regione laryngis orto, connexa <sup>m)</sup>, plexui pulmonali effingendo inservit <sup>n)</sup>. Ex illa vero portione

<sup>m)</sup> Idem eod. Tr. §. 120.

<sup>n)</sup> Ibid. §. 385.

tione trunci intercostalis, quae gangliis, cervicali inferiori & thoracico primo, interiora est, nonnulli encuntur rami, qui aliis propaginibus, ab utroque nunc dicto ganglio exortis, connexi ac sibi invicem in thorace impliciti, in plexum pnevmonicum abeunt o). Ex ipso etiam trunko intercostali egerminat ramus aliquando sub ganglio cervicali superiori, qui thoracis cavum subiens p), itidem suam symbolam ad plexum confert pnevmonicum q). Ex hisce iam in medium prolatis liquidissime apparebit, illos vehementer errare, qui opinantur, eorum nervorum, quibus pulmones utuntur, magnam esse paucitatem atque exilitatem, nec istos ab ullo alio nervorum pari, praeterquam ab octavo seu vago, ortum suum trahere, experientia manifesto ostendente, eos non copiosis solum iisque conspectioribus, quam existimatur, nervis esse exornatos; sed ab intercostali etiam trunko utrinque pluribus ramis dotatos & locupletatos. Haec itaque, de pleurae & pulmonum vasis nervisque, a me praestruenda fuerunt, quo dicendorum, quae hisce innituntur, cum expeditior sit endatio, tum maxime facilior cognitio, quam alias, iis vel omnino ignoratis, vel certe per transennam duntaxat adspexit, non facile quisquam capere sibiique comparare valebit.

§. XXXI.

Cognitis itaque istis vasis nervisque, quae per pleuram & pulmones disseminantur, ordo & tempus exigere a nobis & postulare videntur, ut iam nec de iis

dicta-

o) Eodem loc. §. 392.

p) Ibidem §. 374.

q) Ibidem §. 393.

32 *Dissert. inaug. de singularibus quibusdam*

dictarum partium affectionibus dicere praetermittamus, quas hac Dissertatione suscepimus consulta & dedita opera excutiendas. Priusquam vero istis explanandis, de pleuritide & peripnevmonia quae proferre animum induxi, me accingo, non magis convenit, quam necesse erit, Lectori pauculis duntaxat praecipere, ne existimet, cuncta me, vel minutissima quaeque, quae hisce morbis eveniunt & vulgaris notitiae sunt, immo in omnibus fere monumentis, quae de re medica literis consignata exstant, obvia sunt legique possunt, esse hac diatribe prosequiturum; iis enim cunctis ordine expoundis & complectendis, nequaquam Dissertation, sed vix quoddam volumen esse videretur sufficieturum; sed ea solum, quam brevissime potero, expediturum, quae plerisque Medentium non satis observata videntur, vel certe, etiam si aliquibus eorum forte unquam observando fuerint notata, non tamen ita, ut convenisset, literis prodita & publici juris facta sunt. Quo etiam nomine, quum ea a communi omnium paene Medicorum sententia his de morbis longe recedant, non sum veritus inter *singularia* declarare. Quocirca etiam spero esse futurum, ut Lector benevolus mitiorem in partem interpretetur, in his mox designandis pleurae & pulmonum morbis animadversurus, minime totam atque omnibus numeris & partibus perfectam expletamque eorum historiam a me consignatam tradi & descriptam; sed nonnulla duntaxat, haud adeo trivialia & apud omnes pervulgata, quorum praetermissa animadversio sive neglectio in causa potissimum fuisse videtur, cur iam inde a vetustissimis quibusque temporibus Auctores, vel celebratissimi, semper de hisce mörborum bigis varia-

variaverint, acriter disceptando inter seque altercando,  
utram partium thoracis, pulmones, an succingentem co-  
stas membranam, pleuritidi sedem assignarent?

§. XXXII.

Opportunum ergo iam fore arbitror sententiam eorum examinare atque expendere, qui idcirco pleuritidi cum peripneumonia nihil quicquam fere, vel certe parum discriminis intercedere existimant, quod utraeque haud insolenter complicatae deprehendantur, quae sententiae MANELPHI, REGII, ZECCHII, PLATERI plurimumque aliorum fuit, qui nobis persuadere sustinuerunt, *in pleuritide vera nunquam, vel certe quam rarissime membranam pleuram incendio comprehendendi*, verum semper exteriorem pulmonum superficiem inque primis eorum membranam inflammatione corripi, &, quum haec investiens membrana sensu esset exquisitissimo, in ea tam acerbissimos dolores excitari. Tametsi vero ipse suscipio, utrosque hosce morbos haud raro societatem coire simulque thoracis interioribus exoriri; pernigo tamen, pleuritidem suam sibi in pulmonum exterioribus sedem figere, sive sola ac per se, sive cum peripneumonia coniuncta existat. Membranam enim, pulmontum viscus contegentem, inflammationi concipiendae & alendae non satis aptam esse & accommodatam, clarissime liquebit in memoriam revocaturo, quae supra de hoc integumento relata leguntur. Quamvis enim surculos quosdam nerveos a plexu pneymonico recipere videatur, illi tamen mirae sunt, & exilitatis, & paucitatis, ut nec sane ulla unquam arte oculis obiici queant spectandi. Unde igitur ei tanta exquisitissime sententiendi

E

vis

34 *Dissert. inaug. de singularibus quibusdam*

vis veniat, quantam Viri hi celebratissimi huic membranae comminiscuntur, id decernere nequeo. Accedit quoque illud, quod haec membrana, utsunq; irritata, vulnerata, aliove modo laesa; vix ullam acerrimi cuiusdam sensus notam ostendit, ipsa quotidiana experientia id abundatissime patefaciente.

§. XXXIII.

Idem hoc multo liquidius appetet ex vasibus illis sanguiferis, hanc membranam percurrentibus; nullis quippe aliis eam irrigari sanguinis rivulis supro ostendi, quam qui ex bronchiali arteria orti eam haud adeo frequentes subeunt. Qua quidem ratione, cum tegmen hoc pulmonis membranaceum, neque vasorum abundantia affluat, neque nervorum copia abundet, ideoque obtusi atque hebetis sensus sit, cuius erit spectatissimum, illud ad inflammationem concipiendam non magis esse idoneum, quam sic dictum peritonaeum, abdominis musculis intus *āquēos* subtentum. Quomodo itaque in hac pnevmonica membrana tantum exardescere queat incendium, quantum in pleuride fuscitatum deprehendimus, quaque etiam ratione tam atrocissimos dolores, quales pleuriticorum sunt, cire ac thoracis lateribus inferre valeat, illi viderint, qui pleuritidi nullam aliam sedem, praeterquam pulmonum membranam, relinquunt; praesertim quum ea admodum laxa omnisque tensionis sit plane expers.

§. XXXIV.

Magis igitur veritati eorum congruit sententia, statuentium, in pleuride exquisita seu vera semper membranam costas succingentem inflammatione *solum* esse affectam, ut pote quae, quod costis arctissime adhaerescit, non solum multo vehementius est contenta & adducta; sed longe etiam copiosior.

piosioribus vasorum & nervorum ramulis ditata conspicitur, ut proinde nihil sit dubii, quin multo expeditius faciliusque succendi queat isto velamento, quo pulmones sunt circumscripti. Quoniam vero ista sententia, quae pleuritidis sedem in pulmonum membrana collocat, plurimorum patrocinis defenditur, firmissime asseverantium, in dissectis pleuriticorum cadaveribus se ut plurimum solos pulmones inflammatos comprehendisse, membrana pleura intemerata illaesque, vel certe, si quando etiam una in calamitatis societatem fuisse abrepta, (quod tamen rarissime accideret,) leviter duntaxat incensa; nostrum quoque erit sensuum & observationum testimoniis itidem confirmatum dare, succingentem tunicam in pleurite vera solam, pulmonibus omnino nihil male affectis, incensam pluribus summi ingenii Medicis & Anatomicis fuisse pertam.

§. XXXV.

Nobis primus prodeat *Laz. RIVERIVS*, verbis tradens disertissimis, sibi experientia esse compertum, in multis pleuriticorum cadaveribus, solam pleuram corruptam & putrefactam inveniri <sup>r).</sup> Cui aliis testis succedit certissimus, *DIE MERBROECKIVS*, in compluribus pleuritide extinctorum corporibus a se dissectis, inquiens, semper solam pleuram, pulmonibus illaes atque integris, inflammatione se spectasse occupatam, praeterquam in nonnullis, quorum pleurae pulmones nunquam non fuissent adnexi & coaliti, in quibus utique ipsos quoque pulmones semper incendii participes fuisse <sup>s).</sup> Accedit eodem testis locuples *Prosp. MARTIANVS*, qui zecchii opinionem graviter reprehendens & convellens, solo, inquit, in *Archibospitali St. Spiritus*, ad quod pauperes ex Romano

E 2

agro

<sup>r)</sup> Pract. Libr. VII. Cap. 2.

<sup>s)</sup> Anatom. Libr. II. Cap. XIII.

agro curandi offeruntur, quotidie observavi cadavera pleuriticiorum, in quibus latus laesum & corruptum; cuius rei plures & ego oculati testes sumus t). Neque inauditi quid proflusque est insoliti, aliquando succingenti membranae & muscularis mesopleurii eximiae molis abscessus fuisse internatos, qui quomodo sine praevia harum partium inflammatione uagam oriri potuissent, nihil admodum perspicere quo. Eiusmodi apostema magnum, quod in pleura & muscularis intercostalibus suppurratum, atque interius disruptum, ingentem puris copiam in thoracis cavum eructavit, WILLISIVS deprehendisse commemoratur a BONETO u). Similem historiam ingentis cuiusdam abscessus ex pleurite, in suppurationem transeunte, orti, qui succingentem pleuram in immensum sacrum dilatavit, refert ET MÜLLERVS EX LINDANO x). Nullius negotii esset longe plures observationes Practicorum de abscessibus, in pleura & muscularis intercostalibus natis, non sane ullo virtio in pulmonibus apparente, in medium proferre, si usus esset & Dissertationis id angustia ferret: verum quam haec adducta observata, ex sectis pleuriticorum cadaveribus deprompta, omnium oculis faciant testatissimum, pleuritidis sedem solummodo in thoracis alterutro esse latere; nequam vero in exterioribus pulmonum, ut permultis etiam hodie persuasissimum est, ceteris exsequendis superfedebimus, maxime, quam non verbis opus sit, ubi rerum adsunt testimonia.

## §. XXXVI.

Sed fortasse dixerit quispiam, quo pacto diversissimae

t) in Commentat. in versum 261. Libr. Hippocrat. de loc. in homine.

u) Sepulchret. anatom. Libr. II. Sect. IV. Observ. XV.

x) Libr. citat. Libr. I. Sect. XVIII. Artic. IX. p. 634.

hae inter seque disiunctissimae Auctorum, de verâ pleuritidis sedē, inter se conciliari possint sententiae; quandoquidem ūraeque observationum fide & testimonio nituntur: illi enim, qui, in pulmonum exteriori ambitu *πλευγήν* esse defixam, asserunt, ipsam experientiam atque *αὐτοψίαν* aequē, atque hi, qui hoc malum succingenti pleurae afferunt, suae sententiae testem vocant. Verum enim vero hisce tricis nullo se expeditre negotio poterit in animo secum consideraturus, vix quicquam sollempniter animadverti, quod *πλευγής* vera seu exquisita in peripnevmoniam transeat; sicuti contra *περιπνευμόνη* subinde in pleuritidem mutari advertitur. Nihil itaque dubii est, quin ciusmodi homines, quorum pulmones ZECCHIVS, PLATÉRVS, REGIVS, MANELPHVS, SERVIVS, cetera, ab obitu inflammatos invenierunt, initio vera seu exquisita fuerint pleuritide conflectati, quae brevi postea, malo hoc, in dies, quin etiam in horas, ingravescente, ita in peripnevmoniam mutata esse videtur; hinc minime mirum est, eorum quoque pulmones, ab interitu præviae inflammationis vestigia reliquiisse. Quae quum tantis tamque egregiis Viris fuerint oculis deprehensa, illi indidem statim, nimis præcipiti iudicio, effecisse videntur & adstruxisse, hoc morbi, haudquam succingentem costas membranam; sed ipsius pulmonis peripheriam & cingentem membranam plerumque suam habere sedem. Videas itaque qua via celebratissimi hi Viri, quos sua debita medendi laude fraudare summum nefas esset, in eam opinionem adduci potuerint, ut vix ulla habita ratione succingentis pleurae, exteriorem pulmonum superficiem pleuritidis partem affectam declarare nulli dubitaverint.

§. XXXVII.

Tametsi vero ipse pleuritum veram pulmonum esse inflammationem sum inficiatus, eius conceptacula atque incunabula

nabula in alterutro laterum thoracis collocando: eorum tamen sententiae non prorsus assentiri possum, qui membra nam costis subtentam solum seu duntaxat, semotis omnino & exclusis intercostalibus musculis, incendio comprehendendi affirmant. Etsi enim confessae est veritatis, ipsam pleuram in hoc mali semper inflammationis sociam esse & consortem; nullum tamen est dubium, quin musculi mesopleurii nunquam non in huius calamitatis societatem una abripiantur. Quo autem liquidius appareat, quid argumenti nobis sit, ut *pleuram & intercostales musculos coniuncta* pleuritidis exquisitae sedem constituamus, nostrum fore duco argumentis & rationibus, observationum atque experientiae anatomicae fide subnixis, meam sententiam exstruere, ne novi quid prolaturus videar. Supra iam me satis puto ostendisse, quemadmodum & pleura & musculi mesopleurii, sua vascula ab intercostalium truncis recipient, & qua via commemorati trunci in externos internosque intercostales musculos medii ferantur, quoque etiam pacto numerosissimi ex iis egerminantes ramuli in modo nominatos diffundantur musculos, qui deinde in alios, longe exiliores ac minutiores diffisi, per ipsos iam commemoratos musculos traeicti, ipsam pleuram subirent. Quomodo igitur iam fieri putas posse, ut solius pleurae vascula duntaxat maiore sanguinis mole inundentur & obstruantur; ceteris vasorum ramulis, qui per musculos mesopleurios disseminari solent, & cum succingentis tunicae ramulis ex communibus trunculis enascuntur, maiore sanguinis vi non inundatis nec obturatis; sed satis patentibus & liquidorum expedito illapsui ac transitui pervisi? Ego vero, si verum fateri licet, excogitare nequeo, quare vasorum ramuli, a communi quodam trunculo nati, & usque adeo sibi propinqui & vicini, si copia sanguinis uberiore, quam pro iporum

ipsorum capacitate, obruuntur, non omnes una oppleantur & referciantur; sed tantum aliqui eorum, reliquis iustam suam sanguinis copiam ut antea, in sanitate, accipientibus & volventibus. Accedit, quod sanguinei isti rivuli, qui pleurae prospiciunt, longe infrequentiores & rariores eam interlununt, quam qui musculorum intercostalium fibras interfluent. Quanto autem copiosioribus qualiscunque corporis humani pars sentiens abundat vasculis, tanto aptior ad inflammacionem excipiendo deprehenditur.

§. XXXVIII.

Deinde nec illud minimi videtur esse momenti ad demonstrandum, πλευρήν semper tum pleurae, tum musculis intercostalibus, una insidere, quod ab ipsis hominibus, hoc malo tentatis desumimus. Omnes rei medicae observatores, qui pleuritidem & peripneumoniam diversos inter se ac disiunctos declarant morbos, in eo conveniunt, dolores in peripneumonia obvios haudquaquam esse acutos & pungentes, sed duntaxat gravativos, profundos, dorsi spinam attingentes & obscuros sive obtusos, aut saltem inter tussiendum observabiles <sup>y)</sup>; qui vero pleuritidi verae exquisitaeque comites haerent, eos semper acutos, vehementes atque punctorios deprehendi &, quod omnium maxime probe notandum venit, si aegroti spiritu animam in pulmones ducunt, sive inspirant, semper in maius angescere magisque invalescere <sup>z)</sup>, tum enim demum maxime huiuscemodi aegrotantes de dolore intollerabili

y) SENNERTVS Praetic. Medicin. Libr. II. Part. II. Cap. II. p. 154.  
ETTMÜLLERVS Libr. & loc. citat. p. 624. DIEMERBROECKIVS  
loc. citat. Fr. HOFFMANNVS Medic. ration. systemat. Tom. IV.  
Sect. II. Cap. VI. §. V.

z) ETTMÜLLERVS Libr. & loc. citat. p. 625. BOERHAAVIVS Apho-  
rism. de cognosc. & curand. morb. §. 875.

rabilis acerbissime conquerentes advertimus & lamentantes, si ipsis spiritus est ducendus: sin vero exspirant vel animam retineant, dolores isti mitescunt & leniores evadunt a). Id quod etiam in causa potissimum est, cur pleuriticis difficilis & parva sit respiratio b); quia formidine & timore dolorum augendorum atque exasperandorum ab inspirando, quod thorace peragit, abstinent, abdominis muscularum beneficio potissime respirationem perpetrando c).

## §. XXXIX.

Iam vero quum nemini, qui succingentem costas membranam in cadaveribus unquam fuerit intuitus, incognitum esse potuerit, eam semper tunc valde extensam & complanatam spectari; quia homines semper exspirationis tempore suam diem obeunt, ubi costae, inspiratione sursum antea elevatae, rursus deprimuntur, id quod vero eodem quoque modo viventibus evenire, si aera exspirant, non facile quisquam in dubium vocare poterit: quod si vero costas, aliam alii, propius admovearis, sicuti tempore inspirationis fit, clarissime perspicias, quomodo eadem haec pleura a sua tensione nunc laxata & remissa, in multas se contrahat plicas. Si proinde, ex hoc usque usitata & plerisque Medentium recepta opinione, pleuritis in sola pleura tunica altis desixa haereret radibus, necessaria consecutione inde fueret, pleuritide vera affectos semper tempore exspirationis, maioribus & vehementioribus cruciatibus ac doloribus esse conflictaturos; tempore vero inspirationis nunquam non mitioribus minusque acerbis: quod in inspiratione costae semper sursum elevantur inter seque proprius adducuntur, unde semper pleura hoc tempo-

a) Idem loco citat.

b) SENNERTVS Libr. citat. Libr. II. Part. cap. XVI. p. 230. n. 3.

c) BOERHAAVIUS ibidem.

temporis momento laxatur: in exspiratione vero rursus dorsum aguntur & a se invicem diducuntur, quo ita succingens membrana demum extenditur atque erugatur. Quoniam itaque exploratissimae veritatis est, pleuriticos semper cruciatus torqueri immanioribus, quando inspirant; quo temporis tamen momento pleura remittitur & relaxatur; contra vero mitioribus nunquam non affici & tolerabilioribus doloribus, quando exspirant: iustissima ratione indidem confidere ego mihi videor, in exquisita pleurite affectam partem haudquaque succingentem tunicam esse solam; sed ipsos quoque musculos intercostales, qui longe pluribus & nervis, & vasis, quam pleura, dotati sunt, in huius calamitatis societatem rapi, quippe qui, in inspiratione agentes seque contrahentes non vascula solum sanguine praepter modum iam inundata & distenta, quibus abundanter intertexti sunt, sed etiam nervulos, itidem copiose ipsis interiectos, comprimendo & contendendo excruciant. Hincque est, cur pleuriticorum dolores singulis quibusque inspirationibus augeant & ingravescant. Quando autem hi musculi remissi a sua actione feriantur, commemorata vascula & nervos premendo & tendendo longe minus affligunt; unde est cur eiusmodi afflicti, semper singulis exspirationis momentis, aliquam doloris sui levationem persentiant.

§. XL.

Tum quoque vel inde colligo in exquisita pleurite non minus pleuram, quam potissime musculos μεσόπλευρας una inflammari; quod compertum est, pleuriti improvspere cedenti, haud insolenter abscessus intra pleuram & musculos intercostales haerentes, succedere, qui pleura adhuc confecti, vomicas; disrupti vero, empyemata efficiunt. Eiusmodi abscessuum pleuram inter & musculos mesopleurios natorum,

memi.

meminerunt, SPIGELIUS d), item WILLISIVS e), ut & Iacob.  
FONTANVS f), nec non Chr. PISO g), & LINDANVS h), ubi  
pus sub pleura vel conclusum adhuc haesit, vel ex ea perru-  
pta, in thoracis cavum, ingenti copia, fuit effusum. Qua fie-  
ri potuisse existimes ratione, ut tanta tamque ingens puris co-  
pia, quanta a commemoratis celebratissimis Viris deprehen-  
sa fuit, in solius pleurae vasculis, quae sane admodum exilia  
sunt, nec adeo copiosa, generari potuerint? Laudatus enim  
PISO eiusmodi puris aliquot libras in thorace reperit. Ne-  
que multo minor ea fuit quantitas, quam WILLISIVS depre-  
hendit. Ingens quoque purulenti huius liquidi vis & moles  
in illo immenso pleurae sacco videtur fuisse recondita, qui  
LINDANO in aperto cadavere obvius est factus, & cuius supra  
iam mentionem fecimus. Nec nullius negotii esset plura eius-  
dem fortis exempla ex BONETO in medium proferre, si haec  
non abunde suppeditarent ad comprobandum, ex pleuride  
suppurata subinde abscessus intra pleuram & musculos inter-  
costales progigni. Quomodo autem tantus tabi proventus  
in solius pleurae vasculis nasci & contineri potuerit, quem id  
non sane ullius ingenii, vel cogitatione duntaxat complecti,  
tantum abest, ut modo rationi convenienter explicari unquam  
possit, nisi suscipiatur, inflammationem, hoc in malo, ipsis  
quoque intercostalibus musculis infedisse; illi viderint, qui  
persuasum sibi habent, eam in nulla alia laterum thoracis  
parte, nisi in sola pleura semper defixam haerere. Videas  
itaque, quibus gravissimis argumentis impulsus, nihil dubita-

d) Anatom. Lib. 9. cap. 3.

e) Pharmac. ration. Cap. de Phreniride.

f) Med. practic. Libr. II. cap. 3.

g) Libr. de morib. a serof. illuvie ort. Sect. III. Cap. IV.

h) Loc. supra ex ETTMÜLLERO citat.

vi pleuritidis sedem maximam ipsis quoque *musculis meso-*  
*pleuritis vindicare.*

§. XLI.

Postremo nec multi sudoris esset compluribus, vel do-  
ctissimorum & maxime luculentorum rei medicae scripto-  
rum, auctoritatibus si quis forte eas desideraverit, cuicunque  
testatissimum facere, vel iam illos eiusdem fuisse sententiae,  
cuius nos esse professi sumus, itidem affirmantes, non posse  
fieri, ut tenuis pleura inflammatione occupetur, quin simul  
incendii vis ex ea in musculos intercostales se diffundat.  
WALDSCHMIDIVS quippe hanc sene obscuris innuit verbis,  
impossibile esse, quod pleura membrana posset inflammari,  
qui simul musculi, qui eam cingunt, ob contiguitatem, in-  
cendantur <sup>i).</sup> Quo etiam nomine multis locis disperse tra-  
dit, pleuritidem esse inflammationem pleurae & muscularum  
intercostalium cum febre acuta <sup>l).</sup> Quocum concinit Fel.  
PLATERVS, similiter perhibens, inflammationem pleurae ex-  
ortam, si praesertim magna esset, in hac tenui membrana vel  
periostis (puta costarum) subsistere nequire, quin ad muscu-  
los illi connexos quoque se dilaret <sup>m).</sup> Quibus nec ablusisse  
videtur SENNERTVS, aperte scribens: *Sub pleuritide etiam*  
*recte comprehenditur inflammatio muscularum μετωπίενων,*  
*praesertim interiorum, ob pleurae ex vicinia consensum n):* &  
paulo post, *hoc tamen, inquit, negandum non est, interdum mu-*  
*sculos intercostales simul in consensum trabi, cum membrana co-*

F 2

ftas

<sup>i)</sup> Oper. medic. praet. Libr. III. Cap. I. p. 482.

<sup>l)</sup> Eod. Libr. Disputat. XXXII. de angima & pleuritide & ibidem  
Casu XVIII. Tom. I. p. 229.

<sup>m)</sup> EONETVS adduct. Sepulchret. anatom. Libr. II. Sect. IV. Obs.  
XX. §. IO.

<sup>n)</sup> Libr. & loc. citat. p. 226.

*fas succingens & hi musculi adeo connexi sunt, ut unum sine altero affici vix possit o).* In eandem quoque loquitur sententiam FERNELIUS, dicens: *Latus varii dolores exerceant, qui tum situ, tum materia distant.* Situ quidem quod alius causam habeat inter costas, & membranam, quae intus illas succingit; alius in musculis mesopleuriis: alius in musculis, qui extrinsecus costis incubant. Postremus hic dolor non utique exquisita, sed notha pleuritis est: qui vero vel in musculis mesopleuriis, vel inter hos & membranam succingentem, vel in utramque sedem incidit, ex situ vera & exquisita pleuritis est p).

Sic quoque RONDELETIUS Auctor est, pleuritidem quoque in musculis intercostalibus oriri posse. Verum nolo plura Medicorum dicta heic coacervare, quia veritatis per se vis tam magna est, ut parum externi subsidii requirere videatur.

## §. XLII.

Perspecta igitur vera verae arque exquisitae pleuritidis sede, quam succingentem costas membranam cum musculis intercostalibus esse iam perspicue expeditiss, nec obscuris argumentis satis probasse mihi videor; tam utile, quam necesse erit vel eius, *pleuritis spuria seu notha* quae vocatur, locum natalem illustriore declaratione omnium oculis subiicere. Veterum non minus quam recentiorum scriptorum monumenta, quae de medendi scientia exstant, consulturo satis patet, nec in huius mali sede designanda eos omnes una mente consentire. Quidam enim ita distinguunt, ut notha sit in superiore parte tunicae tegente costas, aut inter costas: vera autem in mediastino, quae Anton. MVSÆ sententia fuisse ab HOLLERIO proditur q): alii vero, ut exquisitam pleurit in

pleura

o) Ibid. Quaest. II. p. 257.

p) Universal. Medic. Patholog. Libr. V. Cap. XI. p. 555.

q) Libr. de morb. intern. Libr. I. Cap. XXVI. in Schol.

pleura & musculis intercostalibus internis collocant, ita spuriam seu notham in externis tantum musculis constituunt r): quidam vero eam duntaxat musculis istis infidere contendunt qui costis extrinsecus incumbunt & musculis μετόπλευροις, quae FERNELI est sententia s), nonnullis candem in intercostalibus & hosce foris contingentibus thoracis musculis defixa esse affirmantibus t). Atque ut Doctores de parte hoc in morbo affecta admodum variant: ita quoque de eius formali indole & natura inter se dissentunt, alii quippe veram agnoscunt inflammationem eamque sanguineam, alii vero magis serosam esse istam cupiunt, aliquibus idem hoc morbi a quibus nescio flatibus & humore seroso acri, in muscularum intercostalium interstitiis consistente & aggesto, arcessentibus. Quid? quod nec in symptomatibus quidem iis, quibus notha πλευρης stipata spectatur definiendis eadem & communis omnium Medentium est sententia.

*§. XLIII.*

Verum enim vero quum mihi non statutum sit omnia, quae hisce morbis accidunt, hoc loco consecrari, sed ea solum, quae notatu sunt dignissima atque hisce etiamnum admodum perplexis morbis planius dilucidiusque expediendis inserviunt; nihil est, quod iis immoremur, quorum pleni sunt omnes libri, qui de morbis divulgati exstant. Quocirca meum erit brevi ostendere, quasnam ego thoracis partes spuriae pleuridi sedem assignandas esse existimem? Quum supra iam haud levibus quibusdam argumentis perspicuum fecerim, in vera & exquisita pleuride nullo non tempore, praeter pleuram musculos quoque tum externos, tum internos,

F 3 inter-

s) Idem eodem loco.

t) Libr. & loc. supra allegato.

i) SENNERTVS Libr. & loc. commemorat. p. 226. & 231.

intercostales unā incendio comprehendit; haud sane obscure  
indidem unicuique censeo appariturum, nequaquam nos cum  
illis facere, notham pleuritin in nominatis musculis fixam esse  
& locatam, statuentibus; verum a FERNELII partibus stare,  
perspicue docentis, eam in musculis, qui extrinsecus costis in-  
cubant, semper insidere u). Nec abludit nobis LOMMIVS,  
pariter claris innuens verbis, notham pleuritin musculos per-  
etoris occupare duntaxat exteriōres x). Quibus complures  
alios Viros scientia artis medicae facile principes, adiungere  
expeditissimum foret, si usus esset. Hinc quoque est, cur in  
hac thoracis affectione omnia multo mitiora cognoscantur,  
quam in vera pleuritide, quantumvis & haec notha πλευρίς  
aeque ac vera suam causam proximam habeat inflammatio-  
nem quandam vel sanguineam, vel quod mihi probabilius vi-  
detur serosam;

## §. XLIV.

Commemorabilis vero observationis est, spuriam seu  
notham hanc pleuritin haud raro in veram seu exquisitam  
mutari y). Cuius μετασύνεστος ratio facillimae explicationis  
erit, curatius attendenti ad istas vasorum & nervorum pro-  
pagines, quas ab intercostalibus vasis nervisque ortas, ex tho-  
racis interioribus intra singulas quasque costas supra dixi  
emergere, ubi dentata principia muscularum ferrati maioris  
antici & obliqui ascendentis inter se mutuo implicantur, quas-  
que vasa intercostalia exteriora antica satis apte nominari pos-  
se. Quemadmodum enim ista, pectore exeuntia, in ramos  
se diffundant & exterioribus huius musculis prospiciant, id  
usque

u) Libr. &amp; loc. antea adduct.

x) Observat. medic. Libr. II. p. 106.

y) LOMMIVS ibidem. RONETVS EX WILLISIO Libr. citat. Lib. II.  
Sect. IV. Observat. XV.

usque a capite arcessere; non necesse est; quod istic uberius explicata ac fusius legi possunt. Quod si enim sanguinea liquida angustias horum vasorum, per exteriores thoracis musculos abundatissime disseminatorum, interceperint, ut sanguini per arterias affluenti, via non satis expedita in socias venas pateat, liquidissime cuivis, qui modo dictos intercostalium ramos corimque origines a truncis intercostalium altius inspexerit, apparebit, futurum esse, ut eo etiam ipso crux in ipsis truncis intercostalibus congeratur & cumuletur: qui ita uberiore sanguinis copia inundati, similiter plus eius in minores minimosque suos ramulos, pleurae & musculis mesopleurii intextos, evolvunt. Minime ergo mirum est, veram pleuritidem interdum hac ex spuria seu notha enasci.

§. XLV.

Cognito, qui pleuritis ab Auctoribus dividatur in veram seu exquisitam, & spuriam seu notham, non minus quoque convenit, quam expediet, breviter ulterius expendere, quomodo vera seu genuina pleuritis Auctoribus denuo distinguatur. Solenne est multis Medicis, praecunte ipsis HIPPOCRATE, eam in siccam & humidam distribuere 2): sicca appellatur, quae parum omnino aut nihil tabi subcruenti extus fiendo emolitur, neque in morbi huius principio, neque progressu: humida vero audir, in qua eiusmodi sputum utique, tum incipiente, tum procedente hoc malo copiose reicitur. Quibus autem viis id purulentii ex inflammata succingente pleura ad pulmones perveniat vel penetrare queat, de eo prorsus filetur; nec memini possum ulli unquam Anatomorum vel perspicacissimo eiusmodi aditus, qua purulentum

hoc

2) *Guilielm. BALLONIVS Consil. medic. Libr. I. Consil. 94. SENNERTVS Libr. & loc. indicat. p. 230.*

hoc liquidum e pleura in pulmones penetrare creditur; fuisse  
reertos. Ego vero aperte & ingenue fateor nescire me nec  
posse exputare, qua quid purulenti ex pleura ad tracheae ra-  
mos adspirare queat, nisi forte statuatur, illud a venis inter-  
costalibus receptum, inque venam *άργυρον* reductum, venam  
cavam superiorem intrare; ex qua per ventriculum cordis  
dextrum & venam arteriosam pulmonibus succederet. At  
vero quum natura, viae semper compendiariae amans, puru-  
lentum hunc laticem, per tot circuitus viarum, ad pulmones  
transferre non possit, quin hoc itinere mire mutatus eo per-  
veniat; praeterea quoque historiarum & observationum me-  
dicarum monumenta loquuntur, in eiusmodi pleuriticis, qui-  
bus pleurae inflammatio suppuravit, semper vel vomicas in  
ea, vel, si crepuerint, empyemata in thoracis cavo fuisse de-  
prehensa: eorum sententiae nihil omnino accedere quo, af-  
firmantium, πλευρίτις perinde ac περιπνευμονίς sputo sub-  
cruento, copiose rufsi electo, levari. Videntur ergo Viri illi  
celebratissimi, quorum haec est sententia, pleuritidem cum  
peripneumonia vel omnino commiscuisse, vel satis non per-  
pendisse, peripneumoniam saepe numero cum pleuritide con-  
iunctam reperi, quo in casu utique, si morbus prosperum ha-  
biturus sit exitum, semper expedita copiosi cuiusdam sub-  
cruenti & puris reiectioni, haudquaquam pleuritidi, sed peri-  
pneumoniae duntaxat accepta referenda, adesse observatur.  
Quodsi vero pleuritis existit solitaria, nullo pulmonum incipi-  
dio comitata, non fiunt ullae cruentae & purulentae per tu-  
sim excretiones, *Fel. PLATERO* id iam praeclare annotante *a).*  
Quae quum ita sint, spectatissimum cuivis erit, istam pleuri-  
tidis distinctionem in secundam & humidam, nihil habere argu-  
menti.

§. XLVI.

*a) Prax. Medicin. Tom. XX. p. 341.*

§. XLVI.

Pergunt Auctores hoc morbi ulterius internoscere in pleu-  
ritis ascendente & descendente b). Illa consistere  
fertur in spatiis trium vel quatuor superiorum costarum, a  
iugulo numerando: haec vero in intervallis ceterarum octo  
inferiorum costarum sedem suam capere censetur c). Illam  
quoque hac multo esse periculosoorem d) atque ut plurimum  
cum peripneumonia sociatam, cuius rationem esse afferit SEN-  
NERTVS, quod pleurae tunicae cum membrana pulmonis,  
circa partem thoraci superiorem sive collum & asperae arte-  
riae exortum, communionem esse perque multas, nescio quas  
fibras connexionem e); quo circa ipse suscipit, hac pleurae  
parte incendio inardescente, semper fere cum pleura pulmo-  
nes simul inflammari; quo in casu haud mirum esse, a pleu-  
riticis saepe ingentem sputi purulentum & cruentum copiam tus-  
siendo reiici: quia succingens membrana, hac via, purulenta  
sua sarcina in pulmones utique exonerari possit. Verum co-  
gnitu longe esse difficilius atque explicatu, qua via purulen-  
tus sanguis, in inferiore succingentis costas tunicae parte ha-  
rens & cumulatus, utpote quae hoc loco eiusmodi nexibus  
pulmonum membranae non ita foret illigata, per superiora  
tussi eiici queat f). At vero quum non me decere arbitrer  
heic planissime ostendere, quam longissime a veritatis via tan-

G

ti no-

b) ETTMÜLLERVS Libr. & loc. allegat. p. 623. SENNERTVS l. cit.  
p. 229. WALDSCHMIDIVS Oper. medic. Disputat. XXXII. de an-  
gin. & pleuritid.

c) ETTMÜLLERVS Libr. & loc. adduct. SENNERTVS item citat.  
Libr. & loc. p. 229.

d) LOMMIVS alleg. Libr. 101.

e) SENNERTVS Libr. & loc. adduct. p. 226.

f) Idem ibid. Quaest. II. & III. p. 258.

50. *Dissert. inaug. de singularibus quibusdam*

ti nominis Viri, ceteroquin doctissimi, & summa ingenii gloria praediti, deflexerint, *avtoſia* anatomica omnium oculis patefaciente, pulmones tam in superioribus, quam thoracis inferioribus, secundum naturam, omni nexo cum pleura solutos omnino esse ac liberos; eorum placita in medio relictus duntaxat expromam, mea quae de ascendentे pleuritide, quam Auctores maiore discrimine stipatam semper existimarent, sit sententia.

§. XLVII.

Memoria igitur repetituro, quae supra de diversa arteriae bronchialis origine exposita leguntur, haud obscure liquebit, cur pleuritis, si thoracis superiora teneat, pluries ipsos pulmones in calamitatis societatem trahat similique incendio afficiat, ac proinde longe impensiori discrimine esse adveratur. Dilucidissime enim maximeque perspicue ibi me expidisse puto, quemadmodum huius arteriae truncus, saepissime, RUYSCHO & WINSLOVIO observantibus, ex inferiore supremae intercostalis arteriae parte egerminans, dum iter suum ad pulmones pergit, ex se generet alteram tertiamque arterias intercostales superiores, vicinis costarum musculis mesopleuris distributas: ut & quomodo subinde RUYSCHO Auctore, ex arteria intercostali dextri lateris tertia oriatur. Quae qui exquisito examine perpenderit, ei spectatissimum erit, non posse fieri, hisce intercostalibus vasis superioribus incensis, quin simul pulmonis interiora inflammatione comprehendantur. Quodsi enim sanguini, a cordis vigore hoc appulso, transitus per commemoratas superiores intercostales arterias omnino interclusus est, reliquo succedenti a tergo in bronchiale arteriam aequo & iusto copiosius est divertendum, quae ita iam sanguine uberior, quam pro magnitudine & capacitatem inundata & obruta, similiter atque

*ad Peripneumoniam & Pleuritidem spectantibus.* § 1

intercostales arteriae superiores, varia obstructionum pericula subit, hocque pacto nova semina peripneumoniae iacit. Videas itaque, cur pleuritis, ascendens quae vocatur, semper fere cum pulmonum inflammatione consociata animadvertatur, quamque ob causam, consentiente omnium Medicorum suffragatione longe periculosior pleuritide descendente semper habita fuerit. Consentaneum proinde videtur, in iis omnibus, qui pleuritide ascendentē laborant, & tussi simul plurimum subcruenti puris reiiciunt, arteriam bronchialem nunquam non ex supra intercostalium arteria exoriri, atque inde iter suum ad pulmones pergentem, binis ternisve subfrequentibus spatiis intercostalibus superioribus, de ramis arteriosis, prospicere, perinde atque cas a RUY SCHIO saepissime ita observatas esse, supra iam abunde significavi: qui vero eadem hac ascendentē tentati, nihil purulentī extussint, eandem arteriam ex aorta, aut aliunde emergere. Qua quidem ratione etiam verisimile est, hisce, in ascendentem pleuritidem implicatis, minus periculi ab hoc morbo esse futurum. Videant quoque, qui alias non adeo benigni minimorum anatomicorum sunt existimatores, quantum nonne lucis huiusmodi anatomica minima maximis subinde atque explicatu difficillimus, in pathologia etiamnum nostra memoria frequentissime obviis, accendere valeant. Quemadmodum enim, iis omnino ignoratis, aliquis hunc nodum implicatissimum, cur ascendens pleuritis non descendente solum semper periculosior sit, sed peripneumonia quoque ut plurimum stipata? solvere atque expedire valuerit, illud vel cogitatione tantum comprehendere mihi non est integrum. Reliquas Scholis Medicorum receptas atque usitatas pleuritidis distinctiones, in primariam & secundariam; anteriorem & posteriorem seu dorsalem; benignam & malignam, cetera, heic de-

52      *Dissert. inaug. de singularibus quibusdam*

dita opera praetermittam, ne dissertatio nostra longius excusat, quam nobis constitutum est.

§. XLVIII.

Iam quoque brevi duntaxat expedientum venit, quod forsitan paucis rei medicæ scriptoribus observando fuisse notatum; & si forte etiam subinde fuerit animadversum, a paucissimis tamen memoriae ac litteris proditum videtur. Utrinimurum thoracis laterum pleuritis accidit frequentior & crebrior, dextro an sinistro? Angliae ornamentum illud, *Steph. HALES* haud sane temere affirmat, latus thoracis sinistrum usitatius frequentiusque, quam dextrum, hoc in morbo, inflammari <sup>g).</sup> Et quamquam paucissimis illud esse videtur observatum; quia ad id animum non attenderunt: veritatem maxime est consentaneum, rem ipsam ita se habere, si præsertim sinistri thoracis vasa intercostalia, tum arteriofa, tum venosa, cum dextri lateris, non prout prima facie sese oculis nostris offerunt conspicienda, sed accuratius sollicitus que conferuntur. Acrioribus enim oculis haec utriusque thoracis vasa intercostalia inferiora contemplatu manifestissime patebit, istas arterias, quae ex aorta descendente in spatia intercostalia sinistri lateris feruntur, multo esse iis, quae ad dextri abeunt, breviores <sup>b)</sup>: venas autem contra, in sinistro thoracis latere per costarum sulcos decurrentes, venis intercostalibus dextris, multo longiores esse & productiores. Nec quicquam negotii erit hoc, vel mente duntaxat, complecti curatius perpensuro, aortae truncum, per thoracis cavum deorsum pergentem, haudquaquam mediis vertebrarum corporibus

<sup>g)</sup> Haemastatic. Experiment. XII. §. 10. p. 80.

<sup>b)</sup> Idem Author eod. loc. vid. etiam *EVSTACHIVS* Tabul. anatom. Tab. XXVI. Num. 2. *GARENGEOT* Splanchnol. Part. II. Cap. V. Tab. XVII.

poribus incumbere, sed sinistriorem super ea deferri *i*); quo-  
circa etiam, quum sinistra thoracis cavitas secundum naturam  
dextro eius cavo longe minor sit & angustior *I*), ipsos quo-  
que laevos intercostales ramos arteriosos, ex sinistra aortae fa-  
cie retro egerminantes, longe breviores esse futuros iis ramis,  
qui dextro thoraci prospiciunt. Quoniam vero vena  $\ddot{\alpha}\xi\gamma\eta\sigma$   
dextram dictorum vertebrarum corporum partem legit;  
perspicuum inde cuivis erit, cur sinistri lateris intercostales  
venae multo prolixiores sint & longiores venis intercostali-  
bus dextris.

§. XLIX.

Deinde nec vel illius meminisse obliviscendum est, quod itidem, nisi maximi nec tamen minimi, est momenti ad clarissime intelligendum, cur πλευρής sinistro thoraci, quam dextro sit frequentior atque usitator? Praeter enim illud quod sinistrae intercostales arteriae dextris longe breviores; venae autem cognomines, laevi thoracis intervalla μεσόπλευρος irrigantes, multo porrectiores deprehendantur & longiores dextris venis μεσοπλέυροι; vel hoc diligenter venit animad-vertendum, quod sinistrae intercostales venae, venam ἀξονας repetiturae, sub vel, si malueris, post truncum aortae descendens, supra vertebrarum corpora progrediendo ad ἄξονας catidicem pertingant, sicutque inter arteriam magnam & vertebrarum corpora interiecitae conspiciantur *m*). Qua qui-dem ratione quum laevi thoracis venae trunco arteriae magna*e* αἱμάτως subiaceant, atque ita ab eo & duris vertebrarum

G 3 corpo.

i) vid. ibidem.

1) WINSLOVIUS Libr. citat. Tom. IV. Tr. de la poitr. §. 30. GAT  
RENGEOT Libr. & Part. citat. Cap. I. §. 8. & 9. Tab. XII. Fig. 2.

m) WINSLOVIUS Tom. III. Tr. des vein. §. 49. GARENGEOT  
Libr. allegat. Tab. XVII.

54      *Dissert. inaug. de singularibus quibusdam*

corporibus mediae intercipiantur; nemini non omni luce  
clarioris indidem apparitum censeo, non posse fieri, ut aorta  
a sanguine, ex sinistro cordis ventriculo in eam irruente, di-  
latur, quin dictae intercostales venae singulos quoque in-  
cubentis aortae ictus seu pulsus una excipient ac sustineant,  
qui idcirco, si praeter modum, a sanguine maximo impetu in  
aortam impulsu, fuerint aucti & vehementiores redditi, ita  
ut trucus aortae, secundum suum diametrum in latum ma-  
ius distendatur, necessario subiectis venis comprimendo vim  
quantulamcumque inferunt, earumque sanguini regressu-  
moram quandam atque impedimentum iniiciunt, quo minus  
reliquis a tergo succedentibus liquidis vitalibus cedere in-  
que venam sine pari affluere queat. Qui ergo aequa animi  
lance pensitaverit, sanguinem per sinistras intercostales arte-  
rias, utpote dextris multo breviores, citius ad venas comitan-  
tes transire, quam per dextra thoracis arterias; per venas au-  
tem laevi lateris, utpote multo longiores, seniorem & tardio-  
rem reverti: is nullo negotio perspiciet, cur sinistrum thoracis  
latus longe facilius & crebrius inflammationem concipere va-  
leat, quam dextrum. Maxime si consideraverit, quomodo  
vitalibus liquidis, per huius lateris venas remeantibus, ab aor-  
ta incubente & vi ac mole sanguinis maiore, quam pro sa-  
nitatis ratione, inundata, aut altiores & vehementiores ictus  
sive pulsus quacunque causa agente, multiuga impedimenta  
inferantur. Quae quum longe secus vasis intercostalibus  
dextris eveniant, quippe in quibus purpuerei latices non tam  
cito per arterias venis sociis succedunt perque has quoque  
venas, utpote porrectiores sed longiores, tardius in venam  
 $\ddot{\alpha}\gamma\mu\gamma\sigma$  revolvuntur; spectatissimum quoque ex eo erit, cur  
dextrum thoracis latus rarius ab hoc morbo infestari soleat.

§. L

§. L.

Multa etiam nunc nobis superercent de hoc morbi enarranda, omnino digna, quae enodati expedirentur, velut cur in pleuritide anteriore, aegrotantes ut plurimum doloris vehementiam in primis sub mamilla persentiscant? quare multi auctorum pleuritin posteriorem seu dorsalem anteriore periculofiorem iudicent? cetera. At vero quum in animo mihi sit ea tantummodo hac dissertatione perstringere, quorum rationes etiamnum multis occultatae & circumfusae obscuritatibus lateant, praeterea vero haec, quae nobis restarent de pleuritide enodanda, facilis sint explicationis, dummodo ad ea, quae supra de thoracis vasis nervisque tradita leguntur, animus attendatur; nihil est, quod ceteris prosequendis diutius immoremur maxime cum maiora potioraque habeamus exsequenda. Si quis enim ea, quae ibi de vasorum intercostalium alveis, & rivis mamariarum internarum uberioris explicata dedi, quemadmodum illi hac in regione thoracis multius orificiis coeant &, alius alii, committantur, is vero non habebit, cur in hoc phoenomeno enodando multum desudet. Et cui perspectum fuerit & cognitum, qui truncus intercostalis nervi, WINSLOVIO sympathici magni nuncupati, supra costarum capitula, a vertebrarum dorfi latere deorsum pergendo, intra singulas quasque costas, binos semper de se sparagat ramulos, unicuique nervorum intercostalium, a spinali medulla natorum, implexos; ei promptissimum erit rationem reddere, quam ob rem pleuritis, si dorso infederit, maiori periculo esse cognoscatur. Quid denique subsit causae, cur inflamatio haec succingentis membranae tam expedite compluries in peripneumoniam transeat? id posterius videbimus.

§. LI.

## §. LI.

Iam proinde id mihi sentio dari negotii, ut de ista etiam incensione, pulmonibus quae multius de causis saepe obo- riri, & ruinam haud insolenter atque exitium moliri solet, ex- ponamus, ut quae membranae costas cingentis inflammatione, crebrior ac frequentior mortalibus accidere; & permulto pe- riculosior subindeque funestior esse observatur. Hanc pul- monum affectionem, quae, vel alterutrum aliquando eorum lobum, vel interdum utrosque una, vel subinde quoque cer- tam duntaxat alterutrius lobi partem correptam detinet, per- saepe solam nec ulli pleurae inflammationi nuptam existere, tam plurima, tam innumera historiarum & observationum medicarum monumenta loquuntur, ut non satis mirari pos- sim, quemadmodum permulti Medicorum, vel doctissimo- rum ac medendi scientia peritissimorum, in id erroris induci potuerint, ut nec veriti sint aliis persuadere, pleuram cum musculis contiguis mesopleuriis non posse unquam inflamma- ri, quin simul pulmones eiusmodi incensionis forent partici- pes confortesque. Quid? quod nonnullos eorum eo op- nionis processisse, ut nec erubuerint pleuritidis sedem cingen- ti extrinsecus pulmones membranae comminisci, interiora duntaxat velutique mediterranea pulmonis peripnevmoniae sedem & habitaculum relinquendo. Quas tam diversas tam- que inter se dissidentes opiniones, quae rei medicae scripto- rum nullo non tempore de diversorum horum morborum nido & conceptaculo fuerunt, quum supra iam fusius simus prosequuti, de iis hoc loco ulterius plura in medium profer- ri, neque attiner neque expedit. Nobis enim satis est paucis tantum ostendisse, omnem inflammationem, pulmonibus usu evenientem, quantacunque etiam est, & quamcunque eorum obsidet partem, sive exteriorem, sive interiorem; alterutrum lobum,

lobum, sive utrosque, περιπνευμονας nomine nos complecti.

§. LII.

Tametsi vero peripneumoniam saepenumero seorsum separatimque a pleuritide existere affirmavi, propterea tamen non abnuo quin subinde ea cum pleuritide cooriatur & una prodeat. Egomet ipse enim in antecedentibus iam dixi, pleuritidem ascendentem saepissime atque adeo fere semper cum peripneumonia coniunctam deprehendi; neque inficias eo, & descendentem πλευρην subinde, vel per μετάσασην, vel per ἐπιγένησιν ad pulmones propagari posse, experientia teste, pulmoniam aliquando pleuritidi succedere. Quapropter etiam multi recentiorum sibi habent persuasum pleurae inflammationem non diu in thoracis lateribus persistere solam posse, quin brevi indidem in pulmones transmigret ac peripneumoniam iis arcessat. Quando igitur pleuritis ac peripneumonia coniunctae inter se & consociatae deprehenduntur, πλευροπνευμονας nomen a Medicorum filiis obtinent. Quoniam vero postea videbimus, qua ratione pleuritidis vis se crebro in pulmones diffundat, simili incendio eos comprehendendo; non est, quod in hac pleuripneumonia explananda heic pluribus moremur. Solenne est Medicis, peripneumoniam similiter, ac pleuritidem in veram & notham dispescere, quae utraequaque in pulmonum quidem substantia nasci ac nidulari feruntur; hoc tamen discrimine, quod vera peripneumonia causam semper proximam agnoscat stasin sanguinis rubicundi, diathesi inflammatoria imbuti, in minimis arteriarum, per pulmones disseminatarum, canaliculis seu tubulis altis radicibus defixam <sup>n)</sup>: notha vero seu spuria ex

H

pituita

<sup>n)</sup> SYDENHAMVS Prax. medic. experiment. Sect. VI. Cap. IV. p. 342.  
BOERHAAVIVS Aphorism. cit. §. 820-821. FERNELIVS Libr. cit.  
Pathol. Libr. V. Cap. X. p. 550.

pituita lenta & viscida, in toto sanguine, plurisariis causis natu-  
ra, & angustias minimorum arteriosorum meatum interci-  
piente atque infarciente, oriatur o). In vera itaque peripnev-  
monia rubri sanguinis globuli, vasorum recessibus impacti  
ibidemque fixi, veram sanguineam excludunt inflammationem:  
sicuti contra in notha peripnevmonia pituita ista visci-  
da & glutinosa, quae arteriis minimis, inque primis serosis &  
lymphanticis, fixa atque immota inhaerescit, inflammationem  
ita dictam serosam vel, si magis placuerit, lymphanticam pro-  
gignit.

## §. LIII.

Verum enim vero quum in utraque peripnevmonia li-  
quidis allabentibus & per pulmonum vasa in orbem volven-  
dis iter per minimos ramos si interclusum, ita ut vel omnino  
nullas, vel certe impeditissimus pluribus difficultatibus ob-  
structus iis pateat transitus, ex arteriarum finibus in initia ve-  
narum: operae pretium, cuius haud poenitendum, erit ista  
pulmonum vasa excutere, quorum recessibus sanguis aut *φλέ-  
γμα* illud glutinosum, fixum atque immotum inhaerere so-  
leat. Plurimis Medicorum ea insidet opinio, arteriae pulmo-  
nariae ultimas propagines solum in peripnevmonia inflamma-  
tione succendi, nulla habita istius arteriae ratione, quam su-  
pra scripsi bronchiorum esse propriam, arque iis de nutrimen-  
to prospicere; quum tamen vel haec inflammando aequa apta  
spectetur & opportuna, ac pulmonalis arteria. Ad ea quip-  
pe respicienti, quae ante de bronchiorum arteria satis copio-  
se dixi, id tam clarum erit, quam quod clarissimum. Qua  
quidem ratione quum pulmonum vasa duplicitis esse generis  
cognoscantur, eorum quoque inflammatio haudquam ea-  
dem sorte censenda est. Alia enim est Peripnevmonia, quae  
arte-

*o) BOERHAAVIUS Libr. nominat. §. 867. SYDENHAM loc. citat.*

arteriae bronchialis extremis surculis, undecunque obstructis, in acceptum referenda: alia vero ultimis venae arteriosae ramulis, undelibet oppilatis, suos debet natales, BOERHAAVIO praecipue omnium id animadvertisse p). Statuimus idcirco vasorum, in pulmonibus obviorum, duplicitate subnixi, geminam quoque περιπνευμονα, alteram ab incensis arteriarum pulmonarum extremitatibus ortam: alteram vero ab inflammatis bronchialis arteriae finibus provenientem. Quam illa, quae pulmonibus ex praeculis atque imperviis arteriae pulmonalis tubulis accidit, longe maiori periculo stipata est, quam haec, quae a bronchialis arteriae ultimis ramulis obseratis pulmoni evenit. Cuius facillima intellectu est causa pensitatu, in finibus venae arteriosae sanguini, ex dextro corde per hanc arteriam in venae pulmonalis alveum, indidemque in cor sinistrum, volvendo, obicem ponit: in ultimis vero bronchialis arteriae ramusculis ei duntaxat sanguineo latice, qui ex hisce solennissime in arteriam pulmonalem transit, viam rescindi. Si proinde arteriae pulmonariae utriusque lobi pulmonum vel mediocri duntaxat incendio exarscent, vita aegrotantium in praecipi est: si vero magna inflammatio, ne fuerint succensi, de vita eorum omnino actum est.

§. LIV.

Quanquam vero ista περιπνευμονα, ab obstructis inflammatis arteriis bronchialibus quae exoritur haudquaquam tanti esse observatur periculi, quanti est quae pulmonibus ex incensis arteriae pulmonariae finibus conflari solet: haud tam ea omnis discriminis exors est censenda; quia ultimorum utriusque arteriae, tum bronchialis tum pulmonalis, ramulorum tanta est propinquitas vicinitasque, atque adeo permutuas anastomoses copulatio, ut incendii vis, in alterutra

H 2 harum  
p) Libr. citat. 822.

harum arteriarum undecunque exorta, expeditissime ex altera in alteram transfundi queat. Quodsi enim extremae bronchialis arteriae propagines a sanguineo latice, in iis subsistente & defixo, praeter modum dilatatae fuerint, atque in latum distentae, fieri non potest, quin arteriae quoque pulmonalis ultimos tubulos violenter comprimendo, nimum coarctent, eaque ratione vitalibus liquidis indidem in venarum pulmonalium alveos evolvendis, nisi omnino obicemponant, certe tamen multam moram atque impedimentum iniiciant. Eadem vero etiam mala arteriae bronchiali, ab obstructis incensisque pulmonariae arteriae extremitatibus, par modo, contra inferri posse, non sane cuiquam ullius negotii erit cognoscere, intentiori animo oculisque aceribus intuituro, nexus illum artissimum, quo ultima bronchialis & pulmonalis arteriarum germina copulantur, mutuisque inter se anastomosis sociantur, quemadmodum supra *ex RUY SCHIO* id uberiorius fusiisque explicatum dedimus.

## §. LV.

Summa quoque omnium fere Medicorum in eo est confessio, in peripnevmoria tentatis semper maiorem respirandi praesto esse difficultatem, quam in pleuritide; sed dolorem contra ea in pleurae inflammatione nunquam non deprehendi acutiores multoque acerbius aegrotantes excruciantem quam in peripnevmonia, quippe in qua aegri vix ullo doloris sensu, praeterquam quodam gravativo admodumque obtuso ac profundo, spinam dorsi velut attingente afficerent <sup>q)</sup>. At vero tametsi lubentissime accipio, peripnevmiam per se spectatam multo hebetiori & tardiori, quam pleuritidem, esse sensu, sicuti illud quoque ex ante traditis lu-

<sup>q)</sup> *LOMMIVS* Libr. citat. Libr. II. p. 107. *ETTMVLLERV*S loc. cit.  
*SENNERTVS* Libr. citat. Libr. II. Part. II. Cap. III. p. 154.

culenter apparet exstatque: id tamen tantis Viris haudquam assentior, quod in omni peripneumonia vix illum alium, nisi insignem rotu pectore gravitatis sensum, aut, ut maxime, obscurum quandam dolorem, inter tussendum duntaxat observabilem, adesse, contenderint; *avroψia* anatomica satis superque declarante, longe plures copiosioresque nervos pulmonibus impertiri, quam plerisque Medentium huc usque fuit persuasum. Verum enim vero, quoniam dicti nervi, per bronchiorum ramos, vel minutissimos quosque decurrentes, bronchialibus arteriis *ἀνεύρος* adiacent, atque omnium itinerum indivulsose se semper comites praebent; quin etiam cum hisce vasis sanguiferis, tum imprimis bronchiorum tunicis, ramulos impertinent copiosissimos; consentaneum mihi videtur, eos, maiore ex parte bronchiorum ramis, quorum multitudo maxima est; minore vero ex parte vesiculis pulmonalibus & membranae pnevmonicae distribui. Neque existimem, fore, ut cuiquam haec nostra sententia a vero aliena videatur, modo attentius expensuro, perennes istos motus, qui bronchiis eorumque ramis, inter respirandum, singulis quibusque temporis momentis expediendi sunt; deinde sumمام istam atque incredibilem vim sentiendi, qua bronchiorum interiora, praecunctis ceteris sentientibus corporis partibus, pollent, vulgari experientia id cuivis manifesto ostendente; sicuti innumeris quoque observatis idem hoc nullo negotio confirmare possem, si mihi in rebus apertissimis atque cuilibet indubitatis longo esse placeret.

§. LVI.

Quum autem vesiculosus pulmonum connexus longe paucioribus, iisdemque etiam exilioribus nervorum staminibus intertextus sit, clarissime etiam inde elucebit, cur is, prae aspera arteria eiusque bronchiis, hebetioris esse ac segnioris

H 3

sensus

sensus deprehendatur. Haud vero propterea statim inde colligere licet, vesiculosam eorum compagem, ut multorum etiam nunc fert opinio, vix ullo alio, nisi quodam obscurō & nominari fere indigno, sensu esse praeditam: quia si pulmonum substantia minoris sensationis esse fertur, illud intuitu bronchiorum eorumque trunci duntaxat ideoque relative, haudquaquam vero absolute & simpliciter, intelligendum est. Ne vero a proposito aberremus, sed ad ea, quae nobis restant expedienda, revertamur, nulli dubitamus, subsidiis anatomicas subnixi & fulti, palam proferre, eam πεγυπνευμονίαν, quae ab obstructis arteriis bronchialibus homini nascitur, quantumvis minus alat periculi, quam quae a pulmonariae arteriae ramulis obseratis fuerit incensa, nobis tamen videri impensisioribus & acutioribus dolorum cruciatibus stipatam, quam alteram, pulmonariae arteriae incidentem. Neque est, quod id pluribus argumentis & rationibus exstructum ex ipso situ arteriae bronchialis & nervorum pnevmonicorum eamus, quem rem ita ferre, tam clarum sit, tam perspicuum, ut vel nudis oculis iudicari queat. Pulmonum enim nervi, bronchiorum arteriae tam proxime adiacent, velutique adhaerent, ut impossibile omnino sit, eam, sanguinis copia utcunque maiore, quam pro capacitatem, inundari posse, quin dicti nervi, huic arteriae αὐτώς incumbentes atque immitentes, simul premantur iusto vehementius & urgeantur. Nervis igitur his, hac ratione lacesitis asperiusque exagitatis; bronchiis quoque eorumque tubulis semper dolores, eosque tanto acriores acerbioresque, quanto gravius nervi fuerint affecti, necessario concitatum iri, unicuique cognoscere in proclive erit, nervorum structuram & doloris indolem ac naturam, qui perspectam habuerit & cognitam. Accedit & illud, quod nunc commemorati nervi, dum per bronchiorum exteriora per-

gunt,

gunt, membranaceis vinculis & nexibus, bronchiis, arctius opinione, alligati & uteunque satis tensi adductique deprehendantur. At vero quum istae nervorum propagines, quae pulmonum vesiculis internatae sunt, longe graciliores existant, minus quoque frequentes notatas vesiculos intermeant, nec tam duris sustentaculis membraneo nexus devinctae, sed vesicularum duntaxat membranis intextae, advertantur; evidentissimum inde erit, cur nec dolorum tanta vehementia in isto pulmonis incendio, cui obstructi arteriae pulmonalis surculi faces subiecerunt, obvia esse possit.

§. LVII.

Nec alienum a nostro instituto erit neque iniucundum vel illud disquirere, cuius, nisi fallor, paucissimi in suis monumentis meminerunt; utri nimirum pulmonis lobarum peripneumonia veniat crebrior, laevone an dextro? Solertissimus CASSEBOHMIUS, omnium fere primus ex situ vasorum pulmonalium iustissima ratione, peripneumoniam dextri lateris lobo familiorem esse quam sinistri lateris, ea si ortum suum ab hausta frigidii potulentii duceret r). Quae sententia ut veritati maxime consentanea est, ita etiam nobis maxime probatur. Ne vero hoc argumentum brevius quam eius gravitas utilitasque dici poscunt, prosequuti esse videamur, liceat mihi paucis ostendere, qui sit meus de eo sensus. Vasorum igitur pulmonalium fabrica & positione nitentes existimamus, dextrum pulmonem a potulentis frigidis, corpore undelibet nimium incandescente atque exaestuante, avidissime haustis, usitatis crebriusque sinistro lobo inflammari: laevum vero seu sinistrum pulmonem ab aliis, iisque potissimum internis, caussis expeditius frequentiusque incendi seu peripneumonia corripi.

§. LVIII.

r) *Dissert. ante citat. syllog. observ. anatom. select. contin. §. XCIX.*

## §. LVIII.

Dextrum pulmonum lobum, sinistro longe facilius promptiusque inflammari, si quis, a nimiis corporis motibus calens ac sudans, gelidis se potulentis largissime ingurgitaverit, nemini non manifestissime patebit, qui, quae in praecedentibus, §. XVIII. & XX, de dextris arteriae venaeque pulmoniarum ramis abunde exposita leguntur, quemadmodum illi, ad dextrum pulmonem adeuntes, a tergo facci seu sinus venosi venae cavae pergant eidemque retro adhaereant, alius inspexerit examineque exquisitiori expenderit. Sensum enim fide comperimus, oesophagum, si ad quintam thoracis vertebram pertigerit inde magis dextrorsum antrorumque recedere s) atque ita hosce pulmonales ramos retro tam prope accedere, ut eis propemodum *αιμάτως* innitatur siue incumbat. Sciscitanti idcirco ex me causam cur avidior frigidorum haustus, corpore aestu fervente & sudore manante, arteriae ac venae pulmonalibus dextris tantam vim nonnamque inferre valeat, ut indidem dexter pulmo prae sinistro seu laevo lobo, longe crebrius expeditiusque inflammatione inardescat? breviter ita respondeo. Non posse fieri, ut aliquis hauriat bibatve, quin animam intra pectus inclasam, tantisper comprimat, dum biberit; qui epiglottis, aperituram laryngis contegens arctissimeque claudens inter hauriendum ac deglutiendum a potulentis pariter atque ab esculentis, semper deprimitur & depressa tenetur: hinc aëri interea temporis neque aditus neque exitus e pulmonibus indidem patet. Utrique ergo lobi pulmonum, a spiritu retenuto dilatati, & distensione tam diu detenti, quam bibatur, oesophagum proversum urgendo & agendo, multo proprius ad pulmo-

s) Thom. BARTHOLINVS Anat. adduct. Libr. II. Cap. XII. CASSEVOHIM citat. Dissert. §. XCVII.

pulmonaria vasa appellunt, tamque arctissime apprimunt, ut  
aer inter se se contingat.

§. LIX.

Sanguis ergo, hisce vasis coercitus, algoris, ei ab avide  
& copiose haustis frigidis potulentis communicati, efficacia,  
praeter modum spissescat atque adeo concrescat, necesse est.  
Quomodo autem existimes fieri posse, ut eiusmodi liquidum,  
si tam insolentem ab ingefto potu frigido contraxerit spissi-  
tudinem, cordis vigore per minimos atque ultimos arteriae  
pulmonalis dextrae surculos provolvit inque connexas ipsis  
venae cognominis propagines expelli possit, quin angustias  
horum meatuum interciperet, inque iis consisteret, praecipue  
quum etiam nervis hic loci hisce pulmonalibus vasis se se  
socios comitesque adiungentibus, simul magna vis noxaque ab  
haustis frigidis afferatur? Eo autem facilius unumquemque  
reor nostrae sententiae esse assensurum, si torrentem istum vel  
utique rapidum sanguinis, secundum naturam, per pulmones  
cursum attentiori animo perpendere. HALESIUS quippe  
istam celeritatem, qua sanguis eorum vasa percurrit, ad cal-  
culum revocans, rationem subducit, eum ter quadragies citati-  
orem per pulmones ferri, quam per omnes alias corporis  
musculosas partes t) five per arteriam aortam u). Qua qui-  
dem ratione non amplius confido cuiquam dubium esse futu-  
rum, quin dextro pulmonum lobo, a praegelidorum quorum  
cunque haustibus avidissimis, longe expeditius ac frequentius,  
quam dextro eorum, peripneumonia arcessatur. At vero  
quum vasculis pulmonalibus sinistri lobi gula nihil admodum  
admoveri & applicari queat, expeditissimum quoque est inde

I intel-

t) Libr. citat. Exper. X. § II.

u) de SAUVAGES notis in HALESIIS Haemastatic. not. ad §. 2.  
Exper. XI.

66 *Dissert. inaug. de singularibus quibusdam*

intelligere, quam ob rem non tam facile nec tam crebro a perfrigido potu iis tanta noxa proveniat.

§. LX.

Sed fortasse a me quispiam requisiverit, numne etiam aliquando arteriis bronchialibus eiusmodi incendium suscitari possit, si quis, corpore aeflu velut fervente, sitim sibi potatu frigidorum expleverit? ei breviter repono, si arteria ista, quod tamen rarissimae est observationis, ex arteria oesophagaea superiore, ut WINSLOVIO animadversum est, vel etiam ex inferiore, quod ego bis deprehendi, natales dicit suos, nullum est dubium, quin etiam hisce vasis idem mali interdum eveniat. Quoniam vero rarissimi quid esse notatur, bronchialem arteriam ab oesophagaea originem trahere suam, rarissime etiam hoc malum, ab haustu frigido, his arteriis succendi autumo. Neque vero cuiquam dubium esse futurum, quin peripneumonia pulmonibus quam saepissime, pollutentis frigidis afflatim haustis, corpore, nimio calore perfusso acciri, tam multis atque innumeris rerum testimoniis, quae id confirmant, ubique fere in Observatorum monumentis extantibus atque obviis x), quae proinde iis commendo inspicienda, quibus id ambiguum forsitan videatur: mihi enim neque vacat, neque propositum est iis hoc loco immorari, quorum pleni omnes fere Medicorum sunt libri. Progrediar itaque nunc ad reliqua mihi expedienda.

§. LXI.

Alterum itaque, quod mihi relinquitur exsequendum, est,

x) BONETVS Libr. cit. ex PEYERO Libr. II. Sect. I. Obs. LXIII. vid. not. p. 511. EITTMÜLLERVS Libr. & loc. alleg. p. 622. HORST. Libr. III. Obs. X. Fabr. HILDANVS Cap. IV. Obs. 25. FOREST. Libr. XVI. Obs. 28. SYLVIVS Idea prax. medic. Libr. I. C. XL. 9. & 10.

est, cur laevus pulmonum lobus peripnevmoniae magis obnixius sit dextro, si haec ab aliis causis potissimum internis, velut a choreis, a nimiis laboribus vel exercitationibus corporis, aut ab suppressis haemorrhoidibus, menstruis, lochiis, cetera, ortum suum duxerit? verum nec hoc arduum erit dilucide & perspicue expedire, dummodo eorum reminiscamur, quae ante §. XVIII. & XIX. de diversa ista & notaru dignissima directione dextrae & sinistre arteriarum pulmonium protuli. Namque dextra, ad lobum sui lateris adspictrans, nequaquam recta, sed in arcus speciem curvata & flexa, eo fertur: quia a trunco pulmonalis arteriae proficisciens, sub que aortae forniciem dextrorum pergens, longiorem circumflectere cursum cogitur. Qui quae oculis animoque inten-  
tioribus perlustraverit, is statim perspiciet, futurum esse, ut sanguineis liquidis, ex corde & trunco pulmonalis arteriae in dextrum hunc ramum irruentibus, a dicti huius rami curvatura arcuata semper mora quaedam impedimentumque obiciatur, eorumque impetus ita frangendo reprimantur. Ex hydraulicis enim abunde constat, liquida per canales intortos sinuososque mota, semper tantum velocitatis suae perdere, quantum eiusmodi canalium curvaturae iis renituntur. Nihil ergo dubii, quin sanguinis torrens, a trunco pnevmonicae arteriae in hunc dextrum ramum excussus, si in notabilem istam atque insignem huius arteriae lunatam curvaturam imperum fecerit, semper quoque ab eius renixu eadem tanta vi repercutiatur, quanta eiusdem parietibus illis fuerit. Hinc non fieri potest, quin, singulis arteriae contractionibus magnam impensamque semper suae celeritatis iacturam faciat ac detrimentum. Quoniam igitur rapidior sanguinis cursus statim in pulmonariae huius arteriae alveo intorro admodum fuit infractus ac diminutus, leniori etiam flumine in eius tu-

bulos maiores, minores minimosque illabatur, necesse est. Videas itaque, quid causae mihi sit, cur dextro pulmoni inflammationem venire rariorem, credam; si a causis potissime internis fuerit excitata, quam sinistro lobo.

## §. LXII.

Nec difficile erit intellectu, quam ob causam peripneumonia, si ab huiusmodi causis oritur, sinistrum pulmonem multo expeditius crebriusque comprehendat, si arteriae, qua hic lobe utitur, situm ac directionem curatius intueamur. Illa enim ex arteriae pulmonalis caudice nata, nequaquam in eiusmodi arcum contorquetur, cuiusmodi dextrae pulmonali esse perhibui, sed recta sui lateris lobum ingreditur. Sanguini ergo, ex pulmonalis trunco arteriae huc appulso, via ad quoscunque huius rami sinistri furculos, vel ultimos, patet satis expedita, quoad copia & velocitate, sanitati conveniente, eos intraverit. Quamprimum vero is utcunque abundaverit, inque motum naturali multo citatiorem, atque adeo velocissimum, fuerit agitatus, facillime extremorum meatuum angustias interciperit, quippe qui tanta moli, neque capienda, neque tam cito transmittenda, apti sunt atque idonei. Nihil ergo certius est, quam quod a globulis rubicundis, in angustiis horum vasorum impactis & defixis haerentibus, sinistro pulmoni inflammatio accendetur. Ex sola ergo sinistram arteriae pulmonalis directione cuilibet liquidissime apparitum duco, cur peripneumonia in laevo pulmone promptius frequentiusque excitari queat, quam in dextro, accendentibus iis causis, quae nimiam sanguinis copiam cumulant, simulque in celeriorem iusto & aequo motum concitant.

## §. LXIII.

Sed nunc tempus mihi esse videtur brevi quoque docere, quid sit, quamobrem pleuritis, si saeva est atque ingens, saepe

penumero in peripneumoniam transeat, quid? quod multo saepius cum hac sit sociata; & quare pulmonum inflammatio interdum, quamvis rarius invicem in pleurit in transeat? πλευρᾶς enim phlegmonem opinione crebrius in peripneumoniam degenerare, usque adeo vulgatae est veritatis, ut me tae-deat illud pluribus testimoniiis, usquequaque sedulo conquis-tis, confirmare. Evolvat cuius interest observatorum monu-menta, mihi enim abunde est heic tantum ostendere, qua ratione eam ego in pulmonium subinde mutari mihi persuade-am. Plurimi vel recentissimi Auctorum opinantur, in iis o-minibus, quibus πλευρᾶς in περιπνευμονία transire, aut huic ma-lo comes haerere observatur, pulmones semper succingenti costas membranae ἀπέστως adnatos esse γ). Non vero con-venit inter eos, quibus nexibus pulmo pleurae adhaerescat: aliam enim, istam cohaerentiam conglutinante quodam, ne-scio quo, tenaci & viscido muco fieri 2); non nulli per plu-res fibras a); quidam per nerveos villos b) cetera, eam per-fici asseverant. Verum non sufficit dixisse, pleurae incendi-um indidem in pulmones persæpe idcirco transfundi; quod pulmones pleurae identidem coaliti reperiuntur; sed viae istae, quibus inflammationis contagio ex pleura in pulmones adspiri-re posset, a tantis Viris prius fuissent omnium oculis patefaci-enda & subiicienda, quam eiusmodi immediatus inflamma-tionis ex pleura ad pulmones transitus adstrui queat.

§. XLIV.

Alli adeo perspicentes, hanc assertionem nullo argu-mento inniti, iustiore ac veriore ratione contendunt, pleuriti-

I 3 dem

γ) DIEMERBROECK Anatom. Libr. II. Cap. 12. & 13.

2) Ioan. Conrad. PEYERVS Exercit. anat. medic. XV.

a) SENNERTVS Libr. citat. L. II. Cap. XVI. p. 226.

b) BONETVS Libr. citat. L. II. Sect. IV. §. 3. p. 622.

70      *Dissert. inaug. de singularibus quibusdam*

dem idcirco in peripneumoniam quam saepissime mutari; quod hoc malo conflictantes toties saevissimis atque intollerabilibus torquentur cruciatibus, quoties inspirant. Quorum devitandorum causa aegroti respirationem illam, quae muscularum thoracis adminiculo peragit, quam maxime possunt, cohibent, summopere nitentes eam muscularum abdominis ope potissimum expedire: quoniam itaque hoc pacto pectoris cavum non satis ampliatur, neque ideo pulmones ritte dilatantur; vitalibus liquidis, ex dextro corde in arteriam pulmonalem excutiendis, impedimentum iniicitur, quo minus per ultimos capillares ramusculos in venas pulmonales libere satisque copiose transmeare queant. Sanguis ergo, sensim pedeterrime in pulmonibus plus plusque in horas agetus & accumulatus, minimorum meatuum angustias intercipiat, hocque modo etiam hisce partibus inflammationem conflet, necesse est. Quod tanto facilius expeditiusque eiusmodi pleuriticis contingere potest, quando maiore sanguinis copia abundaverint, vel etiam quanto spissioribus praeterea ac glutinosioribus fuerint humoribus praediti.

§. LXV.

Quamvis vero haec sententia veritati maxime sit consentanea nec cuiquam dubitatio esse possit ulla, quin ex ea, quemadmodum πλευρής locum suum mutare inque περιπνευμονίας converti; sicut contra haec in illam aliquando transmutari, possit, clarissime intelligi queat bellissimeque explicari: non tamen ex sola hac causa, neque satis liquebit, neque perspicue expediri poterit ratio, cur peripneumoniae haud insolenter nervorum resolutiones seu paralyses, praesertim artuum, succedant, (quas tamen huic morbo identidem supervenisse, observationum medicarum monumenta loquuntur

tur c)) nisi etiam simul rationem eorum habeamus nervorum, quos ex trunco nervi intercostalis, tum in ipsos pulmones diffundi, tum in singulos quoque dorsales nervos, a medulla spinali enatos dispergi, supra iam copiose tradidi. Qui enim cognoverit, quomodo ab iisdem huius nervi gangliis, cervicali videlicet inferiori & dorsali supremo, rami quidam pulmonibus proveniant d)); alii vero surculi ab iisdem gangliis sexto & septimo paribus nervorum cervicalium innecti e), qui cum primo nervo intercostali sive dorsali confociati f) ac miris modis inter se complicati, in brachii musculos disseminantur: is nullo negotio hunc nodum, cur nimirum peripneumoniam subinde paralyses, hemiplegiae cet. excipiunt? cuius enodatio ac solutio, auctore WILLISIO, interpretibus tam plurimum negotii facessivit, exsolvet. Hinc quoque est, cur iam teste SENNERTO g), *Desid. IACOTIVS* paralysin peripneumoniae succedentem, a primo isto dorsali seu intercostali nervo qui ceteris brachialibus e medulla vertebrarum colli oriundis associatur, deducere sustinuerit. Quod vero quoque ipsi nervi, nisi maximam, certe tamen magnam huiusmodi mutationis sive conversionis περιπνευμονίας in πλευρίᾳ, huiusque contra ea in illam, partem sibi suam vindicent, id quoque ex LOMMIO clarissime constat, verbis planissimis scribente: *eundem* (scilicet lateralem) *morbum in nervorum rigorem,* vel *dystensionem* (illum τέταρον dicuntur, hanc στρασμὸν) *vertit;* *pepit-*

c) WILLISIVS Pharmac. rational. Libr. II. Sect. I. Cap. 9. SENNERTVS Lib. cit. L. II. Part. II. C. III. p. 155. HIPPOCRAT. in *Coacis* tex. 400. in Codic. FOESII, vel Comment. I. in Libr. X. Sect. II. aphor. 47.

d) WINSLOVIVS Tom. III. Tr. des nerfs §. 384. 292.

e) Idem ibidem 384.

f) Idem eod. loc. §. 197. & 258.

g) Libr. & loc. citat.

72 *Dissert. inaugur. de singularibus quibusdam*

*pestiferum est: aequa ut in pulmonis inflammationem, quae grae-  
ce περιπνευμονία vocatur h).*

§. LXVI.

Iam quoque paucis nobis expediendum venit, quae arteriarum percussionses in hisce esse morbis observantur. Omnes Medicinam facientes concordibus animis statuunt, eas in pleuritide non celeres modo & frequentes, sed semper quoque duras tensasque atque inaequales deprehendi;<sup>i)</sup> cuiusmodi omnium fere esse sanguinarum inflammationum constat, quae corporis partes obsident; vel etiam exterioreas, exquisitissimo sensu pollentes insident partes: verum in conditionibus eorum pulsuum designandis, qui peripneumoniae solennes deprehenduntur, plurimum dissentiant inter se discordantque. Tametsi enim inter eos convenit, corporis totius arterias in hoc morbi crebrioribus semper & celerioribus micare i&tibus; quod febris ei individua comes haeret: in eo tamen longe inter se dissident, quod nonnulli eas duris tensisque pulsibus tangentes digitos ferire asseverant; alii vero, i&que plurimi, easdem crebriores quidem, sed mollibus atque enervatis i&tibus instare, affirmant. Si proinde experientiam & pulmonum fabricam functionemque optimas huius dissidiū disceptatrices, consulamus, non possumus, quin posteriorum sententiae subscrimbus, affirmantum, arteriarum pulsus celeres quidem & frequentes, sed nunquam fere non exiles seu parvos, molles inaequales atque intermittentes si ingens incendium in alterutro pulmonum lobo aut mediocre etiam in utrisque lobi exarserit, observari <sup>l)</sup>. Quod si enim duntaxat

alter-

b) Libr. citat. Libr. II. p. 99.

i) *Laelius a FONTE Consult. medic. consult. XCI. LOMMIVS Libr. citat. p. 97. FERNELIVS Pathol. Lib. III. Cap. VI. SENNERTVS Libr. II. Part. II. Cap. XVI. n. 4.*

l) *GALENVS L. IV. de cauſ. pull. 12. ETTMÜLLERVS Libr. & Cap.*

alterutrius eorum pars, non adeo magna ac diffusa, ita incensa fuerit, ut vitalibus liquidis, e dextro cordis sinu excussis, etiamnum satis viae per ductus eorum permeables ac pervios, ad sinistrum ventriculum pateat, nihil dubii est, quin etiam arteriarum pulsus multoties satis magnus <sup>m)</sup> nec insolenter utcunque durus <sup>n)</sup> hoc in malo, praecipue si inter prima sui initia adhuc confiterit, nec dum latius se in contiguas vicinasque pulmonis partes fuderit, deprehendatur. Quam vero ob causam arteriae, pulmonibus nimia sanguinis vi & mole inundatis infarctisque tam molles, languidos parvosque agant pulsus, quem id tam expeditissimae sit tamque facilissimae explicationis, ut quisque illud, nullius adminiculis subnixus, suo ipsis, ut dicitur, Marte perspicere queat, in eo explanando, praeter necessitatem tempus & operam consulto frustra contriturus videber. Ne igitur in rebus apertissimis longior sim, quam par aequumque est, ad reliqua perlustranda ingrediar.

§. XLVII.

Res est, iam inde a multis retro seculis, complurium, vel doctissimorum, Medicorum iudiciis & Disputationibus exagata, utrum Venaelectio ad hosce morbos depellendos utilis sit & necessaria, nec ne; &, si eius tanta esse existimetur necessitas, in quanam corporis parte celebranda, an in brachio, an vero pede num in dextro an in sinistro? Communis fere omnium est sententia, in pleurite eam usque adeo esse necessariam ut huic morbo medicaturus non facile finem sibi statutum sine ista sit unquam consequiturus: Verum an tanti quoque sit

K usus

citat. p. 624. FERNELIVS loc. alleg. BOERHAAVIVS Aphorism.  
citat. §. 826.

<sup>m)</sup> SENNERTVS Libro adduct. p. 154. LOMMIVS ibid.

<sup>n)</sup> FR. HOFFMANNVS Libr. citat. Tom. IV. Sect. II. Cap. IV. §. I.  
GOHLIVS Compend. prax. clin. Libr. IV. Cap. VIII.

usus necessitatisque in peripneumonia sananda, haud inter se  
consentiantur. Piget enim & taedet multiugas istas ac diver-  
fas, in quas Auctores abiere, sententias heic expromere; vix  
enim dicendi finem invenirem eas omnes enarraturus. Quo  
nomine mihi liceat paucis tantum expedire, quae sit nostra de  
sanguinis missione sententia. Nulli dubitamus aperte atque  
ingenue confiteri ac prae nobis ferre, non sane ullum specta-  
tioris ac praesentioris efficacitatis remedium, ad pleurit in ci-  
to, tuto ac funditus depellendam, quam venarum sectionem  
in tempore celebratam &, pro virium aegrotantis modulo, si  
usus fuerit, subinde etiam iterato adornandam, videri, quo-  
tidiana experientia optima & certissima rerum magistra, id in-  
numeris observationum documentis abundantter confirmante.  
Nec facile spero quemquam, inflammationis sanguineae,  
genium qui altius spectarum habuerit & cognitum atque, quam  
efficacissime furentes & violenti sanguinis in obstructa vasa &  
inflammata impetus, sufficienti eius detractione seu missione  
infringi possint atque inhiberi, intellexerit, a me esse diffensu-  
rum. Neque multum refert, alterutro brachiorum venam  
scalpello iussoris pertundendam, dummodo sanguis semper in  
hoc morbi ex superioribus artubus, idque copia sufficiente mit-  
ratur. An vero sanguinis quoque, in peripneumonia ex venis  
artuum detractio nostris semper votis atque exspectationi sit  
responsura? hoc est altius quicquam, quam ut indistincte pro-  
miscueque affirmare valeamus. Namque si tanta inflamma-  
tio utrosque pulmonum lobos corriperit, ut non ita multa  
vasa liquidis purpureis, ex dextro cordis ventriculo ad eius si-  
nistrum pervolvendis, pervia relinquantur, non satis nec tan-  
tum sanguinis, quam cordi sinistro implendo & iuste dilatan-  
do suppeditat, eodem perveniet: ergo parum quoque huius  
vitalis laticis indidem in appensa cordi arterias expelli potest;

id

id quod etiam exilis iste mollis ac languidus nec raro intermittens earum pulsus abunde declarat. Sanguinea ergo liquida, maximam partem, in maiorum & maximarum venarum alveis ultra modum cumulata haerebunt. Quemadmodum vero, sanguinis ex alterutro brachiorum missione, ista ingentior humorum copia, in cavis venis earumque conspectoribus ramis coacervata, imminui ac depleri ita possit, ut e dextro corde in pulmonales arterias delapsi, vix ullum amplius in harum obstruetos surculos faciant impetum, id mihi est altius quam ut mente valeam comprehendere. Sin vero unus tantum ex pulmonum lobis fuerit incensus, aut in parte quadam dunatax inflamarus, quod haud aegre ex maiori ac duriori arteriarum pulsu dijudicari potest, nihil Medico antiquius, nihil prius esse debet, quam ut, primo quoque tempore, venam brachii secandam &, habita ratione virium aegri, largam sanguinis exaestuantis copiam inde educandam curet, ut moles crassorum liquidorum quam occissime diminuatur, & hauriendis diluentibus spatium detur, eorum promptius interluendorum & attenuandorum.

§. XLVIII.

Plura sane de binis hisce morbis, propinqua cognatione inter se coniunctis, restarent mihi consecunda, omnino dignissima, quae illustriore interpretatione & declaratione omnium oculis & mentibus subiicerentur, sed temporis angustia aurem mihi vellicat atque imperat, ut velorum sermonis contrahendorum memor sim: quo nomine benevolum Letorem vehementer etiam atque etiam velim rogatum, ut hoc, quicquid literarum est, aequi bonique consulat & nosmet ipsos sibi habeat commendatissimos.

T A N T V M .

K 2

Menda

*Menda quaedam typographica ita corrigenda.*

Pag. 5. lin. 11. lege pertinere pro pertingere. P. 10. l. 24. lege quae  
&c. ingressae inque illo aliis opositis obviae factae. P. 13. l. 16.  
lege praeter hos pro has. P. 19. l. 21. l. per mutuas pro multas.  
P. 23. l. 22. l. usquequaque. P. 24. l. 12. l. famulantisque. P. 26.  
l. 26. l. poterant. P. 30. l. 22. l. inferiori pro inferi. P. 32. l. 2.  
l. consulto. P. 34. l. 9. l. supra. P. 35. l. penultim. l. scio profolo.  
P. 36. l. 1. l. observari. P. eadem l. 18. l. quum pro quam. Ibid.  
l. 24. l. quum pro quam. P. 37. l. 9. lege quam quod πλευρής.  
P. 43. l. 8. l. potuerit pro potuerint. P. 44. l. lin. antepenult. leg.  
tegentis pro tegente. P. 48. l. 21. l. reperiri pro reperi. P. 51.  
l. 14. l. eos &c. ita observatos esse. P. 52. lin. 7. l. accidat pro ac-  
cidit. P. 54. l. antepenult. l. & longiores pro sed longiores. P. 58.  
l. 14. leg. ac pluribus &c. P. 59. l. 25. l. finibus. P. 61. l. 10. l.  
*απίστως.* P. 63. l. 16. l. iustissima ratione effecerit. Ibid. l. 17. l.  
familiariorum. P. 64. l. 25. leg. neque aditus ad pulmones neque  
exitus indidem patet. Ibid. l. 21. l. quia pro qui. Ibid. l. 27. l. bi-  
bitur pro bibatur.

**N**Vntiat aurifluis rutilans Aurora capillis,  
Et propior Solis currus adesse diem;  
Quo **TIBI** splendescens pleno fortuna favore  
Non caeca est, ineritis obvia facta **TVIS.**  
Iure venit, quae digna ligat **TVA** tempora, Laurus.  
Amplis **TE** titulis fama sonora manet.  
Nomen honosque **TVVS** variarum voce sonabit  
Gentium; ut unanimi laude per ora voles:  
Ut quos Eois Titan vider esse sub undis;  
Et quos Urfa tenet, **TE** super astra levant.  
Sic bene diffundet faustorum Copia cornu,  
Sic Sospes Sortis prodiga dona leges.  
Sed neque per terras solum celebraris, ab alto  
Astra, Dii, veniunt in **TVA** Vota simul:  
Cernis ut imponat **TIBI** pronus Apollo coronam,  
Paeonidumque Chorus Carmina viva sonet,  
Iussa Iovis peragens Neptunus Regna pererrat;  
Aequoreas miti cuspide cogit aquas;

Ne

Ne patrios repetens per marmora salsa penates.

Contortam navim gurgite Scylla voret.

Aeolus hinc, ne bella gerant contraria, ventis

Imperat, ut pelago tuta carina volet.

O te felicem, superumque favore beatum?

Quam chara & clara laude revinctus abis.

Vela patent, en nauta vocat, iam littore puppim

Solvit, cedendum est, vade beate, Vale.

InDe aeqVor faVfIs avIbVs, CoMlterVr VbIqVe

TE fortIs rIsVs, gLorIa, LactVs honor.

Vota haec prae nobiliss. ac Doctiss. Dn. Candidato amico  
intimo cum Doctorales capeseret honores, persoluta,  
sunt in perennem memoriam amici fide integerrimi,  
animo iunctissimi, cunctisque servituis promptissimi

GEORG. HECK,  
Landav. Alfati, Med. Doct. Oppon.

PRAENOBISSIMO ATQVE PRAESTANTISSIMO  
**D O M I N O C A N D I D A T O**  
AMICO AMICORVM OPTIMO

S. P. D.

MATTHIAS HAFNER, MED. DOCT.

**G**loriosum atque sublime, ad quod Medicina, indefessa tot tanto-  
rumque celeberrimorum Virorum assiduitate exulta, feliciori  
hoc aeo evecta est, fastigium adeo certis & diversis aliarum scientia-  
rum fundamentis innixum esse & scimus & admiramur, ut omnes,  
quae sub amplio Philosophiae nomine comprehenduntur, partes in  
foliis Medicinac sinu confluere, ad canque praecipue adiplicari posse  
compertum habeamus. Reliquas, salutari nostrae Arti immediatus  
ministrantes, disciplina: (quales sunt Botanica, Chymia & imprimis  
Anatomia) si proprius contemplamur, summum ferme perfectionis  
gradum exacta Medicorum observatione, eas adebras esse, cuivis, qui  
Hippocrati sele consecravit, tanto minus ignotum erit, quanto magis  
indubitatum est, nullum, nisi tam harum quam illarum notitia opti-  
me imbutus, sit, bonum evasurum esse Medicum. Suavis & perquam  
grata, quam tecum intimus inire, singulari sortis favore, mihi con-  
cessum fuit, consuetudo tanto te scientiarum, non tantum philo-

phicarum sed & medicarum, thesauro & ditatum & dotatum mihi exhibuit, ut iis, quibus, tam vaſtum Medicinae campum tecum percurere, quam docto ſimul & iucundo colloquio tuo frui, mihi datum eſt, amoeniores nullae extiterint horae: p[ro]re reliquis autem diebus, fausta nimis iſta mihi eſt, qua doctissimam TVAM, utpote eximiorum TVORVM profectuum, in Anatomia p[re]primitis factorum, testimonium, Dissertationem publice defensurū cathedram conſendis, atque giganteis revera gressibus ad ſummum honorum doctoralium gradum progrediris; de quo eo ſincerius TIBI gratulor, quo verius & archius eſt, quo me TIBI devictum committo & commendo, Amicitiae, nunquam inter moriturae, vinculum. Vale, & mihi fave, atque me in tenero corde tuo continuo fove. Dabam Halae Magdeb. III.  
Sepr. A. MDCCCLIII.

**T**er Fortunatum? cui contigit eſſe beatum?

Fortis ſupelleſt[ile]

Altima dona legit.

ACE multa laude nites,

Targa Phaebi Vota vides,

Hemis mira mentis dona

Oratiarum vult corona

Ivo plauſu promere.

Sexcentis radians, melioris prodroma lucis,

Ithoni Coniux fulgida

Dofſas ab axe bonis.

Et hinc Musae per haec prata,

Aridantis Florae ſata,

Studioſa manu flores

Cent, canant ſuos amores

Parnassi culmine.

Q[ui]estir enim meritis vultu ridente venire

Airtutis alma genitrix

Tæta Minerva TVIS.

Dum labore TIBI favit,

Et lagacitate lavit,

Zectar fundens donat laurum,

Cope non vana ſpondet aurum,

Te iam stringit oſculis.

Give

**D**ive ergo lopipes, Doctor? **T**va saecula Phaebus  
Baccato pingat iubare,  
Wella dolosa fuget:  
**E**n coacta Clotho manet,  
Citae fila ne profanet,  
stu turpi, furor iacet:  
Tulicosa turma tacet.  
Is liber periculis.  
**D**IVS fortVnae CoeLIqVe faVore trIVMphos  
Frige, qVels Vlgeas. sIt: DIVes honore Valeto.  
Addit haec Praenobiss. ac Doctiss. Dn. Candidato, Amico suo  
aestuatisimo dum Doctorales capesseret honores  
**I**OANN. GVSTAV. DE GVLDENTTVBEE,  
Eques Livonus.

---

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO DOCTOR ANDO

s. p. d.

WILH. IOACH. HETLING,

Revalia-Livonus, LL. Cultor.

**S**ummopere laetor, Amicorum Carissime, quod nunc concessa mihi  
sit facultas iam dudum exoptata **TIBI** summos in arte salutari ho-  
nores congratulandi. Quum enim iam a teneris, ut Graeci dicunt  
unguiculis artis huius praeccellentia ductus non nisi rebus physicis  
pariter ac medicis sis delectatus atque sic ingenium mature fatis sci-  
entiae huic spatiofissimae accommodaveris, animum testatus es, qui fe-  
re non nisi ad perfectum Medicum natus esse videbatur sed continua-  
sti hancce discendi fervorem, tanta solertia tanta applicacione & quum  
**TIBI** quod nescio an ulli contigerit ut summorum in arte medica  
Doctorum solidissima Institutione frui potueris, tantis profectibus,  
iam dudum promeruisti ut tempora tua doctorali Laurea cingantur.  
Gratulor **TIBI** tantos, tamque egregii promeritos honores. Gratu-  
lutor Patriae de tanto Medico, ad cuius salutiferas manus tamquam  
ad Sacram anchoram omnis generis male affecti confugere ibique  
cerissimum auxilium & remedium expectari poterunt. Gratulor  
Patri **tro** venerando, de tanto tantisque honoribus cumulato Filio.  
Sis itaque patriae ornamentum, familiae splendidissimae solarium  
omni-

omniumque aegrorum refugium tutissimum: Ceterum ut & eo quo  
hucusque solitus es amore & amicitia me & in posterum amplectaris,  
enixe rogito. Vale. Dabam Halae Salicae d. VI. Sept. MDCCCLIII.

**U**CKE ut Virtutum splendescis lumine? Laude  
virtutum rutilus: Phoebi nam cerno favores,  
splendescis Phoebi Lauris, dat Carmina Musa,  
lumine nam cerno dat Carmina, dona profundit.  
laude favores musa profundit. honore corufa.

Digne novis tItVLI, sortIsqVe LeVanDe faVore  
AVrifLVo fLorens DIVes honore VIge.

Sint illae memoriae perennis, ac fidei nunquam inter-  
moriturae trophyum Praenobilis, ac Doctiss. Domino  
Doctorando Amico aetumariissimo, quod erigere voluit  
eiusdem intimus

**IOANN. CHRISTIAN. LISCH,**  
Livonus, S. S. Theol. Cand.

**L**aurigeram video turmam descendere Pindo,  
Dulcifono resonat carmina festa choro.  
Laeta tuis meritis celeri venit obvia gressu,  
Ut tibi det lauros, ut tibi ferta ferat.  
O dignum titulus? dignum: quem larga coronet  
Gloria, quem mundo fama sonora canat:  
Quam tibi donarunt mentem superi, inclyta centum  
Dotibus excelsa est: possidet artis opes.  
Et quid iam mirer? redimitum tempora lauro  
Si te perpetua laude sequatur honos?  
VIVE age ter sanVs, qVo fors te Donat aMore,  
SIC frVere: Vt pVLso tVrbIne faVsta fLVant.

Adcinit pauca haec Clarissimo ac Doctissimo Do-  
mino Candidato dum meritissima Doctoratus insi-  
gnia suis condigna meritis recipere, Amicus in-  
tegerrimus

**THOMAS SABLER,**  
Livonus, S.S.Th. C.




01 A 6576



TAOG

56,



# Farbkarte #13

B.I.G.



NAVGVRALIS MEDICA  
DE  
BVS QVIBVSDAM  
AD  
EVMONIAM  
VRITIDEM  
TANTIBVS

QVAM  
IIS SVMMI NVMINIS  
ET  
SAE FACVLATATIS MEDICAE  
AESIDE  
ELIA BVCHNERO  
ANI IMPERII NOBILI,  
AE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
NATRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
I. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
TE PALAT. CAESAREO,

DV DOCTORIS  
INA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS,  
PT. A.S.R. CLOCCCLIII.  
GIA FRIDERICIANA  
ELICE DEFENDET  
AVCTOR  
GOTTLIEB UCKE  
NO-DORPATENSIS.  
VRG. LITTERIS HENDELIANIS.